SUTRINA
PIGRORUM
SCHOLA.

Argumentum:

Civi ſutori duos fuiſſe filios fingimus, quorum natu majorem literis, minorem ſutorum opificio addixerat. Deprehenſa tamen prioris pigritia fecit Parens, quod plures facerent, ſi cum hoc ſutore ultra crepidam ſaperent.

Scena ponitur in oppido duabus leucis ab urbe Diligentia diſſito, in ædibus Picaſii.

Personæ.

Picasius, civis Sutor.
Pigrillus, Picasii filius natu major.
Prudentulus, Picasii filius natu minor.
Fabrillus, Syntaxista minor Pigrilli condiscipulus.
Stupacius, e gymnasio nuper dimissus.
Caprasius, Sartor.
Coriastrus, } Sutores.
Grobianus, }
Mopsus, Rusticus.



Pars Prima.

Scena Prima.

Picasius Sutor, Prudentulus filius.

Picas. Lætare jam Prudentule! hora proxima
Solenniter collecta Sutorum Tribus
Albo suorum nomen inscribet tuum.
Solennitati publicæ præsens erit
Dominus Pigrillus frater. *Prud.* anne ergo Dominus
Pigrillus est, qui tertiam classem, & quidem
Ex gratia vix attigit? *Picas.* saltem brevi
Dominus futurus. *Prud.* ah Pater! mallem etiam ego
Esse dominus, quàm sordidus Sutor. rogo -
Picas. Mitte ista. sed num calceos fratris bene,
Ut jusseram, purgâsti? *Prud.* an ipsus calceos
Suos nequit purgare Pigrillus? *Picas.* Puer!
Fac, quod Parens tibi imperat tantum citò.
Namque absoluto prandio impatiens moræ
Urbem Pigrillus repetet. â scholis negat
Abesse velle, aut posse se diutius;
Ardore tanto in studia fertur optimus
Meus ille natus. nil nisi Musas amat.
Prud. Ardore tanto in studia si fertur Puer,
Cur, quæso, toties urbe deserta & schola
Excurrit huc? cur jam biduum, & ultra manet

Hæretque nimium deſes in noſtra domo,
Et nunc adhucdum ſtertit in lecto piger?
Picaſ. Noli invidere. frater aſſiduo nimis
Tractus labore nunquid indiget ſubin
Quiete, ne ſuccumbat? arcus ſi nimis
Intenditur, diſrumpitur. - -

Scena Secunda.

Accedit Prioribus Sartor Capraſius cum veſte.

Cap. - - - - Bonam diem
Picaſio precatus affero impigre
Conſarcinatum pallium cum pileo
Splendente limbis aureis. *Picaſ.* in tempore
Ades Capraſi. - tu mone fratrem, cito
Veniat, probetque, num ſatis quadret humeris
Hoc pallium. *Pigr.* Quid? Pallium tam ſplendidum
Detur Pigrillo, dum interim vili tegar
Lacernula? *Pic.* quia ſutor es tantùm & recens
Sutoriæ artis tyro. Fac juſſum Patris.

Scena Tertia.

Picaſius, Capraſius.

Picaſ. Placeat ſedere. non morabor te diu.
Aderit brevi Pigrillus. *Cap.* es felix Pater,
Cui filius ſtudioſus eſt. *Pic.* ſolatium
Fatebor, hoc eſt maximum mihi & meæ

Toti

Toti Familiæ. Tota ſpes noſtræ domus
Eſt in Pigrillo poſita, nam doctor brevi
Futurus & fors Parochus, aut forſan etiam
Decanus, aut quid amplius. quantum afferet
Picaſianæ ſtirpi honorem! *Cap.* utinam mihi
Pariter liceret filium meum, cui
Satis capax eſt ingenium & amplum caput
Ad litterarum ſtudia in urbem mittere!
Aſt inopia mea hoc prohibet; ut namque audio
Studentium opificium Parentibus ſolet
Multo ære ſtare. *Pic.* fateor, & mea ſumptibus
Tantis crumena neutiquam foret ſatis,
Ni dextra Mœcenatis inopiam meam
Levaret. *Cap.* Et quis ille Mœcenas tuus?
Picaſ. Dominus Parochus in oppido, quod dicitur
Guettwillig, eſt hic frater uxoris meæ,
Et hic Pigrillo ſuppetit veſtes, libros,
Victumque liberaliter. *Cap.* Fors pallium hoc
Et pileum tam ſplendidum pariter manus
Hæc liberalis filio præbet tuo?
Pic. Hæc cuncta juſſit confici ſumptu ſuo,
Solusque ſolvet omnia affinis meus.
Cap. Nempe ut Pigrillo ad ſtudia calcar adderet?
Picaſ. Non indiget calcaribus Natus meus.
Jam ſponte currit.

Scena Quarta.

Accedit Prudentulus redux.

Prud. - - - - Clamo jam ter centies:

 Pigrille

Pigrille ſurge! · ſe nihil truncus movet,
Et cochlea citius deſeret domum ſuam,
Quàm lectulum Pigrillus. *Picaſ.* miror aliàs
Jam mane primo ſurgere, quod ipſe aſſerit,
Solemque provenire ſolet. *Prud.* hoc in Hyeme
Credidero. nervum bubulum capias Pater,
Hoc excitabis optimè pigrum pecus.
Priaſ. Quid cogitas? quid loqueris? in juvenem pium
Et diligentem verberibus agat Parens?
Sine, dormiat Pigrillus, & quantum volet,
Quieſcat hodie. Tu Capraſi pallium
Et pileum mihi cede, non dubito, ſatis
Aptus humeris Pigrilli erit. *Cap.* ſolvat prius
Pretium laboris, quod, quia affines ſumus,
Non exigo, niſi tenue: florenos duos
Pro pallio, pro pileo totidem. *Pic.* ſatis
Carò laborem vendere affini ſoles.
Cap. Plura potuiſſem exigere jure maximo,
Namque hunc laborem debui feſta die
Urgente te, conficere neglecto ſacro
Non absque conſcientiæ ſtimulo gravi.
Prud. Quàm tenera conſcientia eſt ſartoribus!
Picaſ. Non diſputabo pluribus. cedas modò
Hæc interim, tum Dominus affinis meus
Pretium laboris ſolvet. *Cap.* excurrere procul
In oppidum & ſolutionem poſcere
Ab extero, mihique non noto viro
Non allubeſcit. confici hæc tu juſſeras
Tu ſolve. *Picaſ.* non excurrere procul hinc opus,
Huc veniet ipſe Dominus affinis meus.

Cap.

Cap. Et quando veniet? *Picaſ.* hoc adhuc, ſpero, die.
Adveniet invitatus humaniſſime
Solennem ad actum, quo puer hic hodie tribum
Sutorianam augebit adlectus recens.
Prud. Solennis omnino actus & dignus viri
Tanti ſacra præſentia. *Cap.* Dixi, vir hic
Non notus eſt mihi. pallium à me confici
Tu juſſeras, tu ſolve, vel - *Pic.* ſimus boni,
Simus boni. ni veniat hac adhuc die
Reverendus iſte Dominus affinis meus
Solvatque pretium, cras ego ſolvam omnia
Certiſſimè. *Cap.* quod pignus interea? *Pic.* cape.
Hanc dexteram, ni ſufficit, juro inſuper,
Tibique honeſti obſtringo Sutoris fidem.
Cap. Quàm dextera tua eſt picea! tam fidei tenax
Ut ſit precatus, abeo. vah! quantum pice
Maculata fœtet dextera! lavanda illico.

Scena Quinta.

Picaſius, Prudentulus.

Pic. Quid? hanc manum fœtoris accuſet caper?
Prud. Et jure merito: namque ſordidiſſimum
Opificium eſt ſutoris. hinc & ego horreo.
Nolo eſſe ſutor. *Pic.* Ergo ſartorum in tribum
Conſortiumque poſcis admitti puer?
Prud. Neque hoc, ſed inter litteratos, ô Pater!
Atque ſtudioſos, fac, ut annumerer brevi.

 Jam

Jam legere novi, & inſuper jam nomina
Novi aliqua declinare. verbi gratia:
Muſa, *Dominus*. *Picaſ.* Muſa Dominus?
Prud. didici quoque
Jam conjugare verba: *Amo*, *lego*, atque *doceo*.
Pic. Nec amare, nec docere te puerum decet
Sed conjugare calceos diſcas, volo.
Nimium ſuperba eſt indoles tibi Puer,
Tuus Parens eſt Sutor, avus, atque Proavus
Noſter etiam fuêre ſutores. Patrum
Veſtigia humilis ſequere, nec ſis degener.
Prud. Non degener ero. at ſordidæ immerſam Pici
Extollere cuperem altius avitam domum.
Pic. Hæc gloria eſt parata fratri; non tibi.
Nunc abeo, Matrem moneo, prandium paret,
Et lautius non nihil, & hoc in gratiam
Domini Pigrilli, prandio iſti tu quoque
Sutoriæ artis tyro, ut accumbas, ſinam.
An diſplicet fors titulus hic menſæ tibi?
Prud. Ah malo jejunare, quàm tam ſordido
Prandere titulo - ad litteras Pater, rogo,
Ad litteras cum fratre me mittas. *Pic.* ſile!
Vel regulam Sutoriam, puer impudens,
Mox te docebo. pallium iſthoc interim
Et pileum ſuſpende clavo proximo.
Donec Pigrillus ſurgat. hæc ubi viderit
Sibi parata, fervor accendet novus
Ad ſtudia mentem juvenis - -

Scena

Scena Sexta.

Prudentulus ſolus.

Prud. - - - ò ſortem meam
Miſerrimam! ſic ſordidus ſutor ſiam,
Dum frater eſt ſtudioſus? An non etiam ego
Geſtare poſſem pallium? & capiti meo
Quadraret iſte pileus, poſſem & gradu
Sat faſtuoſo incedere, ut quidam ſolent
Ex litteratis * ora tegere pallio,
Naſóque prominente, torvo lumine
Deſpicere plebem ruſticam, & vilem gregem;
Nunc pallio pendente per lævum latus
Jactare dextrum btachium. nunc pileum
Imprimere fronti, nunc rotare per latus
Dextrum, aut ſiniſtrum, nunc ſub axilla premens
Urente ſole mille variatas modis
Edere figuras, quæ aſſeclam Muſæ probant.

Scena Septima.

Prudentulus. Pigrillus in toga nocturna tergens oculos.

Pig. Quota hora? num jam ſtrata menſa? *Prud.* Hora decima
Audita nondum eſt. *Pig.* ergo mature nimis,
Ut video, ſurrexi, repeto lectum. *Prud.* cave
Conterere pullos. Ecce! *Pig.* quid puer? *Prud.* Cave
Puerum vocare. Pallium, ut vides, gero.
Jam

* Prudentulus geſtibus, quod dicit, exprimit.

Jam semidominus. *Pig.* Pallium hoc novum mihi
Est destinatum. *Prud.* Convenit pariter mihi
Aptissimè. *Pig.* depone! quid tibi sordide
Sutorcule hoc cum pallio? *Prud.* bilem cave,
Mi bone domine fratercule? *Pig.* illudis mihi
Pumilio? *Prud.* revereor gigantem. *Pig.* Jam ocyus
Depone, dico, vel brevi ostendam tibi -
Prud. quid? *Pig.* dæmonem in vitro. *Prud.* in speculo asinum.
Pig. Me dicis asinum rabula? *Prud.* tu lixa, cacula,
Calefactor, & - *Pig.* furore rumpor! ubi meus
Est gladius? *Prud.* En! congredere, si audes, provoco.
Congredere. * -

Scena Octava.

Picasius accedit prioribus.

Picas. - Quis tumultus hic Nati? *Pig.* ah Pater!
Hic impudens - *Prud.* hic impudens - *Pig.* Puer - *Prud.* Puer
Es ipse. *Pig.* præ furore non possum loqui,
Prud. Tace ergo. *Pig.* pallium induit meum insuper
Asinum vocare est ausus. *Prud.* & me ille rabulam.

Pic.

* Pigrillus arripit gladium, quem non potest evaginare, Prudentulus verò arripit subulam & se opponit.

Pic. Quiescite, rogo, filii, quiescite!
Tu pallium cum pileo redde Domino
Fratri, cui ista Dominus affinis meus
In diligentiæ & laboris prœmium
Donata voluit. Tu * quoque ignoscas, rogo,
Fraterculo; namque puer est, nondum sapit,
Discetque te cum tempore colere altius
Atque revereri. *Pig.* hoc spero, doceatur aliter
Mecum loqui: si tamen ad alloquium meum
Admisero sutorculum. Veniet dies,
Cùm doctor ego sublimis in sella sedens
Docto superbus pileo stantem procul
Ad januam, vel in angulo extremo mei
Conclavis, atque supplicem cernam mihi
Tum capite nudo, voce submissa inquies:
Commendo me, commendo, demississime
Commendo me Excellentiæ vestræ. *Prud.* dies
Hæc quando veniet? credo judicii ultima
Hæc est futura. *Pic.* finito garrire puerum.
Nunc indue novum pallium, & vide, an satis
Aptum sit humeris. *Pig.* Pallium ad scholas redux
Cras induam - nunc gladius exornet latus,
Dum versor inter rusticos. Novum tamen
Impono capiti pileum, veterem tibi
Relinquo** quamvis meritus es de me parum
Pic. O crude puer! an gratias nullas agis
Pro munere isto? *Prud.* frater est me crudior,
Pro Pallio tam splendido, atque pileo
Adeo elegante gratias nullas tibi
Dum reddidit. *Pic.* non gratias ullas mihi
Debet

* Ad Pigrillum.
** Tradit Prudentulo.

Debet Pigrillus. Omnia hæc auro ſuo
Solvit Dominus Affinis. Huic ſoli refer
Pigrille grates. Prodigam illius manum,
Si veniat, oſculare. *Pig.* Prodigam manum
Satis mereri debuit, credite, mea
Induſtria indefeſſa. *Pic.* ter vera aſſeris.
Meritis tuis debentur his plura. at modo
Contentus iſtis perge, quo hactenus pede
Cœpiſti, ut habeas proxime & togam novam.
Pig. Pergam, Pater (ſic voveo) quo cœpi pede.
Sed menſa, fac, ſternatur, eſt ſtomachus meus
Jam debilis labore protracto nimis.
Prud. Protracto ad usque meridiem ſomno? *Pig.* Putas
Me tamdiu dormiiſſe? *Prud.* ſaltem tamdiu
Stertiſſe. *Pig.* multùm falleris. Dum ſomnio,
Laboro. Nocte ruminor, quæ de die
Vel lecta ſunt, vel ſcripta. Studioſus bonus,
Qualis ego ſum, in lecto ſtudet plùs, quàm in ſchola.
Pic. Miror quidem, ſed neutiquam laudo nimiam
Hanc, nate, diligentiam; nam deſtruit
Intenſio continua vires corporis,
Et ingenî, atque exhaurit omnes ſpiritus.
Prud. Delirii periculi fratri imminet,
Si ſic ſtudere pergat in lecto diu.
Pic. Ergò modereris ſtudia. Sufficit dies,
Noctem quieti tribuere, & ſomno decet.
Pig. ſequar parentis monita. Sed menſam modò
Jube inſtrui: nam debeo ante veſperam
Redire in urbem, ut craſtinæ interſim ſcholæ.
Pic. Tantum breves fer, Nate chariſſime, moras,
Donec

Donec hodie ſolenniter frater tuus
Sutorium receptus eſt inter gregem.
Tum prandium parabitur lautum, cui
Tecum aſſidebit tota Sutorum Tribus.
Pig. Dedignor aſſidere ſordido gregi.
Prandebo ſolus & cito. Culinam peto *
Pic. Fac, quod placebit, Nate. Tu verò interim
Cubiculum hoc purgabis, ut, ubi venerint,
Cuncta videant mundata Collegæ mei,
Tui Magiſtri. P*rud.* rapiat, opto, ſtyx nigra
Tales magiſtros, tyro Sutorum haud ero.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Picaſius, Prudentulus.

Pic. Prudentule! heus! Prudentule! an nondum tui
Adſunt Magiſtri? P*rud.* utinam procul & Indos ſuper
Atque Garamantas. P*ic.* Et ubi Pigrillus? P*rud.* ubi erit?
Superflua eſt hæc Quæſtio. Vorax puer
Sedet in culina, & devorat, quidquid Parens
In prandium paraverat mihi, & tibi,
Totique domui. P*ic.* proficiat opto, meruit
His plura juvenis diligens, & tam probus.
Hunc ut imiteris, cupio. Quantùm proficit
In litteris Pigrillus, & tu profice

Su-

* Abit Pigrillus.

Sutorum in arte. Et tibi quidem facilis labor
Incumbet: etenim tu laborabis manu
Tantùm sine ingenio. interim frater tuus
Graviter capite laborat. *Prud.* etiam ego, Pater,
Malo capite laborare, quàm tantùm manu.
Ad litterarum studia me - *Pic.* sile! sile!
At quis huc? an non filius nostri fabri
Fratrisque condiscipulus? *Prud.* est ipsissimus.

Scena Secunda.

Picasius, Prudentulus, Fabrillus.

Fab. Salve Picasi. *Pic.* quid Fabrillus me petit?
Fab. Has ocreas opto refici per te & cito;
Namque mihi redeundum est in urbem, & ad scholas
Adesse mane crastino - *Pic.* Et natus meus
Sub Vesperam redire in urbem vult. negat
Abesse se diutius posse à scholis.
Fab. Scio. Facultas emanendi non fuit
Concessa, nisi per biduum, & hoc ægre quidem.
Væ, nisi rediret crastina ad scholas die.
Væ! væ! *Pic.* Pigrillum, credo, non pœnæ timor
Sed propria diligentia, & Musarum amor
Exstimulat. *Fab.* equidem miror insolitam hactenus
Hanc diligentiam Pigrilli. *Pic.* absque dubio
Insolita diligentia hæc uni meo
Innata dudum filio. *Fab.* narras nova.
Ludimagister loquitur aliter de tuo

Hoc

Hoc filio - *Pic.* quid ergo? nunquid diligit
Præ cæteris, & æstimat miris modis,
Et pene mactat laudibus? *Fab.* miris modis.

Pic. Pietate, studio, industria, & morum omnium
Urbanitate non habet parem sibi
Meus Pigrillus. *Fab.* non habet parem sibi.

Pic. Constanter in schola occupat locum suum.

Fab. Omnino sic est, nam, nisi sedeat humi,
Constans solet sedere fornacem prope.

Prud. Quid hoc, Pater, sedere fornacem prope?
Hoc quale signum est? *Pic.* eminet & inter suos.

Fab. Quia eminenter ultimus. *Pic.* in amoribus
Ludimagistro est unicè. Ante terminum
Anni scholaris meritus esset scandere
Ad altiorem classem. *Fab.* ad altiorem? *Pic.* Ita.
Nempe ad supremam grammaticam. At adeo probum
Charumque sibi discipulum, & unicum decus
Scholæ suæ non passus est sibi eripi
Ludimagister. *Fab.* miror hæc. Anno tamen
Priore vix ægerrimè, atque ex gratia
Et ad potentes, nescio cujus, preces
Ad tertiam Pigrillus admissus scholam est.
Ludimagistro plurimùm invito. At satis.
Hæc dicta fors ingrata sunt. Modo ocreas
Has refice. Huc redibo post horam. Vale.

Scena

Scena Tertia.

Picasius, Prudentulus.

Prud. Andistin hæc? Pigrillus in schola sua
Est eminenter ultimus, & ex gratia
Ad altiora admissus. *Pic.* haud capis satis
Contraria nimis dicta - *Prud.* Quæ contraria?

Pic. Paterfamilias, cujus in domo cubat
Pigrillus, ad me litteras heri dedit,
Queis ille ad astra filium extollit meum.

Prud. Quis hic Pater familiæ? *Pic.* in urbe civis est,
Et eruditus sutor. *Prud.* & quis litteras
Has attulit? *Pic.* Quis attulit? frater tuus
Pigrillus, ipse Bajulus laudis suæ.
Has ipsemet, nam legere jam nosti, lege.

Prud. * *Laudare cogor filium tuum. Ipsemet*
Hoc petiit à me. Diligentiam ipsius
Ex his abunde colligo, multos libros
Jam devoravit, namque vix duo amplius
Illi supersunt, qui remansere, laceri
Omnes, & (usu nempe continuo) admodum
Detriti, ut ipse sæpius vidi. Novos
Ut possit emere, petit à me identidem
Pecunias. Jam porro scribendo calamus
Ne forte desit, anseres, quotquot potest,
Intercipit. *Pic.* de industria en adhuc
Dubitare poteris? anne plus puero putas
Credamus uni, quàm viro, & civi, & probo
Patri familias? *Prud.* Sæpius tamen audii,
Cives in urbe proxima cupidos lucri,
Quod

* Legit.

Quod à ſuis ſperare convictoribus
Poſſunt, ſævere ſæpè ſtudioſis nimis.
Ego, ſi Pigrilli dominus & Pater forem,
Ludimagiſtum accederem, & de moribus
Induſtriaque filii ex hoc quærerem.
Pic. In urbe nuper dum fui, jam ſtatueram
Ludimagiſtrum accedere, & de filio
Inquirere. At diſſuaſit hoc idem mihi
Paterfamilias, aſſerens, urbe in ſua
Non eſſe moris, ut Parentes multùm apud
Ludimagiſtros, ſemper auſteros viros
De filiorum moribus quærant. *Prud.* mihi
Suſpectus eſſet talis, ut vera fatear,
Paterfamilias. *Pic.* ſcrupulum & mihi moves.
Incipio ſuſpicarier. At ipſus redit
Pigrillus - -

Scena Quarta.

Picaſius, Prudentulus, Pigrillus.

Pig. - - Offa ſumpta ſedavit famem;
Sed impotens jam viſcera exurit ſitis.
Fac, afferatur, quæſo, cereviſia nigra.
Prud. Cur nigra, cur non alba? *Pig.* quia nigra ſcilicet
Eſt aptior pro capite ſtudioſi. Parit
Subtiliores Spiritus, & ingenî
Excitat acumen. Id quod experientia
Me propria dudum docuit. *Pic.* experientiam
Nolim, frequenter admodum, fili, probes,
Hodie tamen concedo. Cauponam pete,
Prudentule! atque huc affer hauſtum.
Pig. ſed citò:

Lassum studendo sustinent ægrè pedes.
Prud. Ergo sedere placeat * *Pig.* hac in sordida,
Picemque olente sede sutorum ? -

Scena Quinta.

Picasius. Pigrillus.

Pic. - - - in schola
Ubi soles sedere? *Pig.* litterario
In scamno. *Pic.* & à fornace non procul?
Pig. quia
TemporeHyemis percomodus mihi hic locus,
Pic. Sed destinatus ultimis. Nunquid?
Pig. Quis hoc? tamen ludimagister ipsemet
Suam cathedram nuper admovit prope
Fornacem. Hic utique non potest dici ultimus.
Pic. Sed aliud insuper audio: quod ex gratia
Tantùm, ad potentes, Nescio cujus, preces
Ad altiorem denique admissus scholam
Fuerit Pigrillus. *Pig.* ista quis de me impudens
Mendaxque? num fabrillus ista? *Pic.* forsitan
Is ipse. *Pig.* credesne puero huic, plus, quam mihi?
Plus, quàm meo Patrifamilias? litteras
Testes meæ virtutis, & scientiæ,
Quas attuli longissimas, nondum Pater
Perlegit? *Pic.* utique legi, & inter lachrymas,
Quas uberes solatium expressit, quater
Legi

* Offert sellam sutoriam.

Legi & relegi; ſed hodie jam - *Pig.* quid hodie?

Scena Sexta.

Picaſius, Pigrillus, Stupacius.

Stup. Heus Sutor! an laboribus modò vacas?
Pic. Quis iſte Dominus? aut quid à ſervo exigit?
Novóſne poſcit calceos? ſtatim - *Stup.* novos
Novique moris calceos Lutetia
Exſpecto per curſorios equos mihi
Cras afferendos. Interim hos veteres breve
Ad tempus à te refici velim. *Pic.* ſtatim.
Placeat ſedere, & calceos deponere.
Stup. * Adeſto puer, & calceos mihi exime.
Pig. Non ſum puer. *Stup.* quid ergo? *Pig.* Studioſus. *Stup.* dabis
Ergo veniam. Æſtimare Studioſos ſcio;
Namque Studioſus ipſemet nuper fui,
Et eſſem adhucdum, niſi tribus abhinc menſibus
(Cùm honore tamen) emiſſus è ſcholis forem.
Pic. Et quid Scholis emiſſus agitabis modo?
Stup. Scribendo jam applicatus in praxi omnia
Addiſcere potero, & facilius, quàm in ſchola.
Pic. Bona ſors amavit oppidum noſtrum, cui
Adeò eruditum in litteris ſcribam dedit
Et quomodo Dominatio vocatur ſua?
Stup. Olim Stupax, modo vocor Stupacius.

* Sedens ad Pigrillum.

Pic. Stupax? puto audivisse me jam sæpius
Hoc nomen, aut affine quid huic nomini.
Stup. Esse poterit. Stirps nostra jam latissime
Diffusa, ubique nota clarescit. *Pig.* nisi
Me fallit oculus, etiam in hospitio puto
Aliquoties vidisse me Dominum. *Stup.*potest
Hoc esse. Sed quam jam attigit classem? cui
Scientiæ se Dominus impendit? *Pig.* Deo
Favente, classem tertiam, ut spero, brevi
Superabo. *Pic.* Saltem ex gratia ad mulias preces
Stup. Difficilis est hæc classis; at valde utilis.
Hinc ego biennium integrum huic uni dedi.
Pic. Etiamne Dominus scriba classem tertiam
Conscendit? *Stup.* Imo jam supremam, quam vocant,
Quartamque pedibus Ingenii percurrere
Occeperam, cum subita tempestas stitit,
Rupitque cursum. *Pic.* Subita tempestas? *Stup.* Jovem
Dira minantem flumina ut fugerem, scholas
Deserere tandem malui. *Pic.* Num Jupiter
Fulmina minatur in scholis frequentius,
Quàm ruris & alibi? Nate! sollicitus cave.
Pig. Adustus ego jam sæpius non amplius
Multùm timere soleo cæruleum Jovem.
Pic. Non capio vestra dicta, cæruleum Jovem?
Stup. Nos litterati mutuò intelligimus
Capimusque, quod non percipit Sutor rudis,
Pig. Omnino. *Stup.* Sed quod nomen est Domino? *Pig.* vocor
Pigrilius. *Stup.* Ex prosapia Matris meæ
Etiam Pigrillos numero cognatos mihi.

An

An dominus à majoribus ſuis habet
Hoc nomen? *Pic.* à ſartore Patrino ſuo,
Hic forſan è proſapia eſt matris ſuæ
Dominationis - *Stup.* Poterit hoc eſſe. *Pic.* Et quia
Hic ſartor eſt ex latere cognatus mihi,
Ego atque Dominus ſcriba cognati ſumus.
Salve ergo Domine Agnate, plurimùm mihi
Meisque talem affinitatem gratulor,
Et obſecro, meum filium, agnatum tuum
Tentare placeat, & ſcientiam illius
Tantum obiter explorare. *Pig.* Proteſtor, Pater!
Examinari me ante Litterarii
Anni exitum non patior. *Pic.* aſt ego volo,
Jubeoque reſpondere te, quaſi tuus
Ludimagiſter eſſet hic Dominus. Modo
Examina, oro - calceos gratias tibi
Reſarciam. *Stup.* propoſita conditio placet.
Facitisne jam *Participia*, ut ſcholæ vocant,
In Ans, *&* *Ens*? *Pig.* Sæpiſſime, ac *in rus* quoque.
Stup. Si dico, verbi gratia: *Si eſſem in ſchola*,
Fors verberarer. Quomodo hæc dicta efferes
Per participia? *Pig.* verto ſic: *Ens in ſchola*
Ens in ſchola - fors verberaturus forem.
Pic. Dixitne bene? *Stup.* beniſſimè. At difficilius
Jam de *Reciprocis* affero exemplum, mihi
In ultimo olim examine impoſtum. Bene
Adhuc recordor - nempe ſic illud ſonat,
Si pauca tantum muto mutanda. *Pic.* cupidus
Examini huic attendo. Si, Fili, bene

Respondeas, mox omne, quod mentem premit,
Depono dubium. *Stup.* Nempe ita Exemplum sonat:
Stupacius ist ein Arcadisches Pferd, und v. g. Der Herr *Pigrillus* ist ihme gantz gleich.
Capitne bene? *Pig.* quid significat ein Pferd. *Stup.* Pecus.
Pecudis. *Pig.* Stupacius est. *Stup.* Quid? *Pig.* Arcadicus pecus.
Stup. Und der Herr *Pigrillus* ist ihme gantz gleich
Dominus Pigrillus - *Pig.* Est sui similis. *Stup.* notet,
Verbisque cunctis Dominus attendat bene
Gantz gleich *superlativus* est. Gantz gleich. *Pig.* scio,
Corrigo: Pigrillus est sui simillimus.
Stup. Sic optimè. Nam sic & ego in Examine
Respondi, & à præsentibus plausum tulit
Responsio mea. At gloriari non decet.
Pic. Respondit ergo filius meus, prout
Debebat? *Stup.* Exactissimè, & modo meo.
Omnino doctus per parùm cedit mihi,
Multumque superat tertiæ scholæ gradum.
Pig. Audis Pater? *Pic.* solatio summo audio
Hæc omnia. Ubi Prudentulus? nondum redux
Cerevisiam attulit petitam? nam indiges
Post rigidum ita examen recenti poculo.
Pig. Appropinquantem video. -

Scena

Scena Septima.

Picasius, *Pigrillus*, *Stupax*, *Prudentulus*.

P*ic*. * - - Quid fricas caput?
P*ig*. Ubi Potus? ubi Cerevisia? P*rud*. extra januam.
P*ic*. Ergo afferas intro huc, cito. P*rud*. ignoscas Pater;
Nam non mea - sed - Asini culpa accidit.
P*ic*. Quid accidit? P*rud*. cum nempe caupona redux
Potum ferebam, ad ostium nostræ domus
Stans Asinus impedivit ingressum. Hunc ego,
Ut cederet, aditumque panderet mihi,
Dum fuste cœpi pungere, & tundere latus,
Iratus asinus urceo impegit pedem,
Et vase fracto tota defluxit in humum
Cerevisia. *Stup*. Quis hic crudus asinus? P*rud*. ut puto
Molitoris est. P*ig*. o semper infaustum pecus!
Ut styx asellos! P*ic*. Nate, ne jures, cave
Afferenda est mox alia cerevisia, redi
Prudentule ad cauponis ædes & novum
Exposce potum; at ligneo in vase hunc refer,
Ne denuò illud asinus iratus queat
Diffringere, & si quis iterum occurrat tibi
Asinus, cave irritare tam crudum pecus.
P*rud*. Quomodo satis cavebo? nam sunt tot asini

* Ad reducem Prudentulum.

Nos inter, ut - *Pic.* propera citò. *Stup.* exſpecta parùm.
Pro me ſimul, fac, afferas cereviſiam.
Prud. Cereviſiam pro Semiſtrenuo viro?
Stup. Pro more ſueto non niſi vinum bibo
Burgundicum; eſt hodie tamen, cum litteras
Debebo plures ſcribere illuſtrem ad virum,
Et Principem, cerevifia aſt longè aptior
Sublimibus conceptibus. *Prud.* Quantum jubes
Ut afferatur? nempe menſura integra?
Stup. Dimidia pro me ſufficit; nam ſobrium
Oportet eſſe publicum ſcribam, ſuo
Ut muneri faciat ſatis. *Pic.* potus utique
Largior obeſt conceptibus ſublimibus,
Experior ipſe hoc ſæpius, ſi ſum ebrius
Non conſuo aptos calceos. *Stup.* Quanti ſolet
Menſura media ſtare? *Prud.* binis crucigeris.
Stup. Æris minuti copiam haud mecum fero,
Tantùm aureos crumena concludit mea.
Cede Domine cognate crucigeros duos
Mihi mutuos, fideliter reddam omnia,
Ubi refectos calceos ſolvam ſimul.
Pic. Quin mutuos do quattuor; nam quattuor
Tandem crucigeros talis agnatus valet. *
Pig. Sed nonne Domine ſcriba tibi nimis gravis
Iſte locus, & ſutrina tam fœtens pice?
Ego ferre non diutius poſſum. Pater
Clavem ad cubiculum ſuperius. *Pic.* Quod petis,

Con-

* Dat Prudentulo pecunias, qui abit

Concedo prompte. * ascendite. *Stup.* abs-
que calceis ?
Pic. Cape interim hæc sandalia conjugis
meæ. *
Stup. Præcedere velit Dominus. *Pig.* honor
hic hospiti
Debetur. *Stup.* In honorante potior est honor.

Scena Octava.

Picasius solus.

O me beatum filio tali Patrem!
Non capio me præ gaudio; & quantum
quoque
Solatium perfundet affinem meum,
Quando veniens huc audiet, quòd tam bene
Sit collocata liberalitas sua
Talem in Nepotem, utinam jam adesset?
at quis huc?

Scena Nona.

Picasius, Mopsus.

Mops. Per me salutem plurimam mittit tibi.
Pic. Quis? *Mop.* nempe Dominus Parochus
affinis tuus.
Pic. Non veniet ipsus? *Mop.* non puto. *Pic.*
cur non? *Mop.* quia
Me misit. *Pic.* Humanissime tamen in diem
Hanc fuerat invitatus, & avidissimè

 A fa-

* Dat clavem.
** Stupax induit Sandalia muliebria oblata.

A familia exſpectatus. *Mop.* Hoc credo; at tamen
Non credo, quod venturus eſt. *Pic.* cur non? *Mop.* quia
Me miſit his cum litteris. Reddas citò
Reſponſa; nam redire debeo domum.
Pic. Prius legendas cede, & interim ſubi
Huc intus. *Mop.* Exſpectare non poſſum, cito
Reſponſa reddas. *Pic.* Ocyus. Sume interim
Panis aliquid potumque. *Mop.* Quis dabit hæc? *Pic.* Ego.
Mop. Hoc ſi ſit, exſpectare jam poſſum. *Pic.* veni
Mecum ergo. *Mopſ.* promptus venio. *Pic.* * ſunt auro graves
Hæ litteræ. Pigrille plaude, præmium
Induſtria tuæ ſperes ex merito novum.

Pars Tertia.

Sena Prima.

Picaſius *Mopſus.*

Pic. Subſiſte Mopſe hic, & oculis tuis vide
Spectaculum, quod poteris affini meo
Parocho tuo narrare reſponſi loco.
Mop. Quale hoc erit ſpectaculum? *Pic.* dabo
Horrendam Tragœdiam, mirabere, exemplum dabo
Triſtiſſimum, dignumque verno tempore
Popu-

* Acceptis à Mopſo litteris.

Populo referri publica ex cathedra. *Mop.* novi
Moliris aliquid. *Pic.* Terreat pueros novum
Spectaculum hoc, ne porro vesani audeant
Suos Parentes ludere, & decipere. -

Scena Secunda.

Picasius. Mopsus, Prudentulus cum urceo.

Prud. - - - Ubi
Pigrillus & scriba? affero, quam petierant
Cerevisiam. *Pic.* refer, refer, nec guttulam
Gustabit inde geminus hic stupor. *Mop.* Stupor!
Tu me stuporem? *Pic.* Falleris. De alio loquor
Stupore gemino. *Prud.* forte de me, & te Pater?
Pic. Dixi, refer cerevisiam, cito refer.
Prud. Sed caupo non recipiet & pecunias
Non reddet. *Pic.* Ergo defer ad matrem & mone,
Ut prandio reservet. *Prud.* in Matris manus
Si vasculum deveniat, haud multum Pater
Tibi manebit. *Pic.* ergo depone hic prope.
Mop. Si prandium exspectetis, hæc potio nimis
Tepescet, ex sententia mea statim
Est haurienda. *Pic.* adverto: te sitis premit.
Sed potio hæc pro rustico est fortis nimis.
Mop. An rusticus sutore non sit fortior?
Non

Non timeo totum vaſculum hoc. Sinas ſtatim
Congrediar illi. *Pic.* Siſte! non patior meis
In ædibus duella. Ne videar tamen
Avarus eſſe, patiar infundi tibi.
Prudentule, age. duc intus hunc bonum virum,
Illudque vitrum, quo utitur mater tua,
Dum vinum aduſtum mane jam ſummo bibit,
Cerevifia imple, & porrige, at tantùm ſemel.
Generoſa nimium eſt noſtra cerevifia. Viam
In oppidum guettwillig, & reditum domum
Non amplius reperiret hic vir optimus.

Mop Non eſt periculum. Sæpius redii domum
Plenè ebrius, nec tamen aberravi à via.

Prud. Veni ergo. *Mop.* Nunquid filio potum quoque
Concedis? *Prud.* Ego non ſitio, nec potus ſapit,
Niſi litteratus fuero. Pater! ah Pater! *Pic.* eris

Prud. Studioſus? *Pic.* id quod eſſe te volet Pater.
Intrate nunc, ne forte pœniteat meæ
Me liberalitatis, aut cerevifia
Tepeſcat. *Mop.* hoc periculum præveniam ego.

Scena Tertia.

Picaſius ſolus.

Mirabilis mox ſcena ſe pandet. Novum

Specta-

Spectaculum & tragœdiam horrendam dabo,
Ad cujus aſpectum oppidum totum tremet.*
Quis hoc putâſſet? - ô! ut ego puerum!
- at decet
Tantiſper iram premere, bilemque nimiam,
Et ſanitati noxiam compeſcere.

Scena Quarta.

Picaſius, *Pigrillus*.

P*ig*. Quouſusque Dominus ſcriba & ego debebimus
Ore arido exſpectare? P*ic*. Quid? P*ig*. cereviſiam.
P*ic*. Prudentulus jam rediit, aſt iterum novus
Caſus aſininus accidit. P*ig*. An adhuc foris
Aſellus adſtat? P*ic*. non foris, ſed in domo
Hic eſt aſellus. At brevem patientiam.
Fili, brevem patientiam. P*ig*. patientiam!
P*ic*. Mox veniet huc collecta Sutorum tribus,
Mox, mox. P*ig*. Quid ad me hæc olida Sutorum tribus?
Fac potius, ut citò prandeam, & ſolus quidem,
Mecumque Dominus ſcriba; nam ſutoribus
Dedignor aſſidere. P*ic*. Scriba ſi volet,
Tibi aſſidere poterit, eſt dignus pari
Uterque menſa. P*ig*. Fac igitur, ut ſit brevi
Inſtrata, nam redire in urbem debeo,
Et ante noctem adeſſe, ne clauſæ fores
Urbisque portæ mihi aditum negent. P*ic*. ſatis

Matu-

* Litteras tacitè relegit.

Maturus aderis. Nam de equo celerrimo
Tibi providebo. *Pig.* sic quidem places Pater.
Sed non sit equus hic rabidus & ferox. *Pic.* metum
Hunc pone - mansuetissimus & aptissimus
Erit tibi, nec indiget calcaribus,
Et ne quidem scutica. *Pig.* Placet hic equus mihi.

Scena Quinta.

Picasius, Pigrillus, Fabrillus.

Fab. An jam refectæ, ut jusseram, ocreæ meæ?
Pic. Hic paululum Fabrille ut exspectes, rogo.
Solennitatis publicæ testem velim
Te adesse. *Fab.* quæ solennitas domi tuæ?
Pic. Quam cum stupore, credo, spectabis. Voco,
Quos pariter huic adesse spectaculo decet.
Hac actione terminata denique,
Si sic placet, cum filio meo potes
Redire in urbem, vel comes, vel Dux viæ.

Scena Sexta.

Pigrillus, Fabrillus.

Pig. Te comite non indigeo, nec posses sequi
Equidem pedes. *Fab.* Equitabis ergo? sed quo equo?
Illóne, quem vocare vulgo suevimus des Schusters Rapen.
Pig. Sed sarcinulam equo patiar imponi meo,
Sic

Sic levior incedere poteris, etsi parum
Hanc gratiam promeritus es. Nam quid Patri
De me? nisi Patrisfamilias litteras
Testes meæ virtutis habuissem, malè
Me denigrâsses proditor famæ meæ.
Fab. Non denigravi - candide dixi omnia,
Quæcunque de te publice, & sæpe in schola
Ludimagister dixit. *Pig.* at, si vellem ego
Me vindicare, nunquid & Patri tuo
Referre possem talia, ut adhuc hac die
A litteris retractum ad incudem faber
Damnaret? at quia Christianus, & bonus,
Probusque sum, condono jam illatam mihi
Injuriam; sed spero, proxima vice
De me loquêris cautius coram Patre.
Fab. Gaudebo, si boni aliquid, & veri simul
Narrare de te potero. Dicas interim,
Qualis hodie solennitas vestra in domo
Celebranda? quisve hic actus, ad quem me cupit
Tuus Parens adesse? *Pig.* simplicissimus
Parens meus solennitatem nominat,
Quod nec videre poterit absque nausea
Studiosus aliquis. *Fab.* quid igitur? *Pig.* fraterculum
Meum Parens Tyronibus Sutoria
In fœce ritu publico inscriptum cupit.
Et jam propinquat sordida hæc tribus. Picem
In naribus jam sentio. -

Scena

Scena Septima.

Accedit Grobianus.

Grob. - Salve! manum
Mihi negabis? *Pig.* jure. Qui tangit picem,
Manum inquinatam retrahet. Hinc abſis procul.
Grob. Optasne fieri ſutor, & picem times?
Pig. Sutor ego fieri? *Grob.* ſic tuus dixit Parens
Et ipſus invitavit huc totam tribum
Sutoriam. *Pig.* de fratre dixit hoc Parens,
Hic ſutor olidus fiet infelix puer.
Grob. Quid ergo tu? num Sartor, & fœtens caper?
Pig. Grobiane! *Grob.* nomen unde jam notum tibi?
Ita. Grobianus vocor. *Pig.* Et es. *Grob.* nec me pudet
Nominis aviti, num tui te ſors pudet?
Aut tu quis? *Fab.* an non eſſe ſtudioſum hunc vides?
Grob. Unde videam? deinde ſtudioſi quoque
Poſſunt adhuc fieri, favente Numine,
Factique ſunt jam ſæpe Sartores. Tibi
Fortuna fors favebit, ut Sutor - *Pig.* ſile
Crudiſſime! greges paſcere, aut porcos velim
Lubentius, quam ſordidum hoc opificium
Sutoris exercere. *Grob.* talia parcius!
Et nos ſumus homines honeſti, tam benè,
Quàm vos ſtudentes. *Pig.* literato num audeat

Se Comparare Cerdo? *Grob.* non tantum audeo
Me comparare, ſed tibi me plurimum
Præferre. Panem namque lucrari manu
Hac potero, quod tu capite toto non potes.
Pig. de litteratis hominibus, qualis ego ſum,
Diſcas loqui modeſtius, vel gladius hic
Mores docebit. *Grob.* diſce de ſutoribus
Tu quoque loqui modeſtius. Vel ſenties
Quid crepida - *Pig.* Domine ſcriba! Domine ſcriba! -

Scena Octava.

Accedit ſcriba.

Scriba. - - - Quid
Rerum agitur? an lis fortè de cereviſia?
Ubi illa? *Fab.* non lis ulla de cereviſia,
Eſt cauſa gravior, & gravior injuria
Illata nobis. Olidus iſte, & impudens
Cerdo Studioſorum omnium in me ſauciat
Authoritatem. *Scrib.* Cædere ſtudentes cave,
Et me ſcias fuiſſe ſtudioſum. *Grob.* ſcio
Quod fueris, & cur fueris ejectus ſchola.
Scrib. Ejectus ego? *Fab.* dimiſſus eſt tantùm. *Scrib.* & quidem
Cum multo honore, litterisque teſtibus
Induſtriæ haud mediocris. Hæc ſutor ſcias,
Pig. Et cogites, quod Dominus hic forſan brevi
Judex futurus oppidi poſſit acriter
Se vindicare, & me pariter. *Grob.* ergo veniam
Depoſco. *Scrib.* veniam dabimus. Aſt imposterum.

Tum propter alia, tum meam in Reverentiam
Diſcas revereri, pallium quisquis gerit.
Grob. Si geſtet aſinus pallium impoſtum ſibi,
Aſinum verebor in tuam reverentiam.
Pig. Recedimus. Non tolero. - -

Scena Nona.

Perſonis prioribus accedunt Picaſius, Coriaſtrus, Capraſius.

Pic. - - - placeat interim
Intrare & exſpectare tantum paululum;
Dum huc advoco Prudentulum. * Tu quo? mane hic,
Pig. Nequeo, Pater, perferre fœtorem unius
Sutoris hujus ** quomodo plures feram?
Pic. Subſiſte! *Pig.* nequeo. *Pic.* faciam ego, ut poſſis † Puer!
Docebo te Patri obſequi. †† *Pig.* Puer, Puer!
Minor ergo Syntaxiſta ſit puer? *Stup.* grave
Hoc eſt, fatebor, in corona tot hominum.
Coriaſt. Taxiſta ſis major, minórve, te Pater
Puerum poteſt vocare: nam nondum vir es.
Pig. Sed néc Puer. *Grob.* quin inſolens valde puer.
Non creditis, quæ ſcommata in noſtram tribum
Effuderit. Quin dicere eſt auſus palam:
Se malle porcos paſcere (ô infamiam!)
Quàm ſordidum Sutoris opificium ſequi.
Cor. Os impudens! hæc crepida mea dentes tibi
Elidet omnes. *Cap.* forfice hac linguam tibi
Aures-

* Ad Pigrillum abiturum. ** Grobianum deſignat.
† Minatur baculo. †† Abit Picaſius.

Auresque puer abſcindo. *Stup.* ceſſate, moneo
Aut mox jubebo ad carceres vos abſtrahi.
Grob. Quid? ſcriba nos ad carceres? *Cor.* ſolvas prius,
Quod jam diu pro calceis debes mihi.
Cap. Atque mihi pro caligis refectis jam quater,
Aut quinquies.

Scena Decima.

Perſonæ omnes. Prudentulus indutus pallio.

Pic. * - ſequere, mox plura audies.
Pig. Quid hoc? an iterum pallium meum tuis
Imponere humeris ſordidiſſimis? *Prud.* Parens
Sic juſſit. *Pig.* exue ocyus, vel te puer -
Pic. ** Tu Puer, & iterum Puer. In hoc modò angulo
Subſiſte. Nec te commove, & ſile, niſi - †
Vos interim Sedete collegæ mei.
Tu litteras Prudentule has palam lege.
Prud. †† *Bonifacius Picaſio.* *Cor.* Bonifacius
Quis eſt? *Mop.* Parochus in oppido noſtro, ut vocant,
Guetwillig. *Pic.* atque Dominus affinis meus,
Et maximus Patronus. At perge legere.
Prud. Chariſſime affinis. Fui heſterna die
In urbe. Poſt confecta ibi negotia
Ludi magiſtrum filii tui quoque
Acceſſi & ex hoc audii, quæ me pudet
Scripſiſſe. Certe pœnitet me vel obolum
Tam lurido impendiſſe lurconi. Novum,

 Quod

* Ad Prudentulum. ** Ad Pigrillum.
† Minatur. †† Legit.

Quod destinaram pallium cum pileo,
Si jam Pigrillo traditum est, rursum eripe;
Nam tale tegumen neutiquam quadrat asino.

Stup. Acrem stylum habet hic Dominus affinis tuus,
Fuitne quondam scriba? *Pig.* Non favet mihi
Ludi magister, sat scio. Hinc ab hoc malè
De me edoceri Dominus agnatus petit,
Interroget Patrem familias, vel si huic
Non credit uni, poterit ancillam quoque
Interrogare. Denique audiisti Pater
Paulo ante ipse, quid Dominus hic publicè
Testatus est: quàm in litteris profecerim,
Multumque superem tertiæ scholæ gradum.

Stup. Testor etiamnum. *Pic.* testis es tu absque dubio
Exceptione major. *Prud.* ò Pater! Pater!
Hic quid lego! quàm læta! *Pic.* lege palam omnia.

Prud. Prudentulo. *si litteris amat imbui,*
Pecunias, vestesque, quas male hactenus
Asino Pigrillo *impenderam, impendam lubens*
Illumque in urbe sumptibus meis alam.
Ut spero, respondebit hic melius meis
Favoribus, quàm frater, & merus Stupor.
Pigrillus. *Hunc monebis, ut domum meam*
Subire caveat, ni canibus & fustibus
Inde exigi velit. Vale - affinis tuus
Bonifacius. *Stup.* Sententias satis graves
Epistola ista continet. *Mop.* Ego hanc attuli,
Sed nescius sententiis plenam. Gravem

Auro

Auro putabam. *Pig.* Bajulum hunc ſtyx devoret,
Pic. Audite nunc etiam Patris graviſſimam
Sententiam. Fabrille, commendo tibi
Prudentulum. Duc tecum in urbem, & craſtina
Ludimagiſtro ſiſte diſcipulum novum,
Dum proximè ipſius Dominus affinis meus
Veniens in urbem pluribus de re hac agat.
Prud. O gaudium! ſine oſculer manum, Pater.
Fab. Et quò Pigrillus? *Pic.* lecta ſutorum tribus
Tibi trado puerum hunc, ut tuis ſolenniter
Tyronibus digneris adſcribere, rogo. *
Coriaſt. In gratiam parentis immeritum licet
Adſcribimus, & his teſtibus noſtram in tribum
Admittimus. *Grob.* Jam noſter es, porrige manum,
Promptamque obedientiam tyro novis
Sponde magiſtris. *Pig.* ſiſtite. Ah! Pater optime!
Suaviſſime! oro, obteſtor, obſecro, ſpondeo.
Ero diligentior, atque probior. *Pic.* in ſchola
Sutoria ſis diligens. *Grob.* aut væ tibi,
Pig. Ah! Domine ſcriba! *Stup.* condoleo, ſed - *Pig.* optime
Fabrille, condiſcipule mihi chariſſime
Pro me perora. *Fab.* ſi Parens meus hac die
A Litteris domum me ad incudem fabri

* Tradit Pigrillum.

Revocaret, etsi invitus, obsequerer tamen.
Pig. Prudentule! ah fratercule! *Prud.* ad nutum Patris
Domum paternam deserens urbem peto.
Cur non eadem mente Sutrinam subis?
Grob. Nil disputandum. Noster es. Sutor sias,
Olim futurus grande Sutorum decus,
Mihique similis. *Pig.* ah! similis sui
Mallem esse, quàm - *Cap.* Sic impudens tyro suos
Spernat Magistros? *Cor.* Jam novos mores brevi
Sutrina te docebit. *Pig.* ah Pater! Pater!
Tantum hac vice - *Pic.* nihil audio. *Pig.* ah saltem date,
Ut scriba fiam. Honestius id est non nihil
Quàm sutor. *Pic.* Etiam scriba sis. Ecce! calamum.
Ecce & Papyrum! scribe. Sed modo pileum
Hunc cede, qui Prudentuli exornet caput.**
Prud. Reddo vicissim pileum veterem tibi,
Vel si placet stramineus, En! capiti tuo
Hic fortè quadrat melius. *Pig.* insultas mihi
Et tu? *Coriast.* caput sutoris ex more oppidi
Nostri vetusto tegmen ex corio decet.
Grob. Pro pallio pariter bovis corium tegat
Firmetque pectus. *Pic.* indue. hic coram vides
Utrumque. † *Pig.* non possum pati has sordes Pater,

Ah!

* Offert ipsi subulam, & corium. ** Detrahit Pigrillo pileum novum. † Offert ei corium, quo pectus tegere solent sutores.

Ah! malo fieri miles. *Pic.* hic ecce gladium! *
Grob. hoc perforabis absque misericordia
Cruda vitulorum tergora, & Prussos boves.
Pic. Vis esse Pyrobolarius? globum hunc cape. **
Fab. Quin tangere cave. Namque qui tangit picem,
Manum inquinatam retrahet. *Pic.* accipe, jubeo. ***
Cor. Insignia artis projicis? *Pic.* tolle ocyus,
Tolle, ajo, nonvis? *Grob.* Euge Collegæ! novus
Tyro doceatur. † *Pig.* sustuli jam. *Scrib.* rigidum satis
Tyrocinium hujus artis. *Pic.* in signum quoque
Reverentiæ, qua tyro debet prosequi
Sutoriam artem, jam osculum fige huic pici.
Pig. Mallem osculari centies humum in schola
Quam sordidum istud. - *Grob.* Euge Collegæ! ††
Pig. - - - osculor.
Jam, jam osculor. *Prud.* quàm me tui miseret! picis
Hic fœtor utique litteratis naribus
Non est ferendus. *Pig.* in meis tot miseriis

* Offert ei iterum subulam.
** Offert ei globum piceum, quo uti sutores solent.
*** Pigrillus quidem globum accipit, sed mox iterum abjicit.
† Omnes sutores sublatis crepidis Pigrillo minitantur, qui tandem globum humo tollit.
†† Iterum sublatis crepidis minantur sutores.


Ridetis? * *Pic*, En! & quem ſpoponderam prius
Equum tibi. Conſcende. Manſuetiſſimus
Eſt, crede. Non te excutiet & calcaribus
Non indiget. *Fab.* licetne ſarcinulam meam
Tuo gaballo imponere? quia per pedes
Redibo in urbem. *Prud.* tu præibis nos eques
Pic. Equum citus conſcende, conſcende, impero.
Et inſide. Hæres? *Grob.* Euge collegæ! novum **
Pig. Jam ſedeo, ſedeo. *Pic.* nunc proba, num mollior
Hæc ſella ſit ſcholaſtico ſcamno. *Fab.* tui
O ſi viderent iſta condiſcipuli. *Pig.* adhuc
Ludere mihi audebitis? *Fab.* quin gratulor
Novos ſodales. *Cap.* gratulor & egò tibi
Novos Magiſtros, gratularer & mihi
Tyrone Tali. Viſne diſcipulus meus
Sartorque fieri potius, ac ſutor? Parens
Fors annuet. *Cor.* non cedimus. Jam noſter eſt
Hic candidatus. *Fab.* viſne me nomine tuo
Dicere tuis ſodalibus vale ultimum?
Prud. Et me referre nomine tuo debitas
Ludimagiſtro gratias? *Pig.* ne, ne, obſecro,
Cuiquam in urbe pandite hanc ſortem meam
Adeò pudendam. Fingite, atque dicite,
Quod miles, aut quod ſcriba ſim factus, *Cor.* Puer
Superbe nimium! téne noſtræ artis pudet,
Pigetque? *Grob.* pudeat, aut pigeat, es, atque eris

Sutor

* Picaſius admovet Pigrillo ſedem Sutoriam.
** Iterum ſublatis trepidis minantur.

Sutor mihi simillimus. *Mop.* Ego ista referam
Domino meo Parocho. Probabit omnia.
Stup. Domine Pigrille, calceis meis manum
Poteris statim admovere. Mercedis loco
Hæc acta tecum publicis actis manu
Propria sat eleganter inscribam. *Fab.* ocreas
Meas prius resarcias, ut ad scholam,
Urbemque dum rediero, possim ostendere
Sodalibus opus dexteræ primum tuæ.
Prud. Commendo me, commendo demississimè,
Commendo me excellentiæ vestræ. *Fig.*
ò Pudor!
Pic. Spectate pueri, & discite hoc spectaculo
Tristissimo: Pigritia quò tandem trahat.

O. A. M. D. D. V.
H. E. G.





GYMNASISTA NOCTAMBULO.

Argumentum.

Nocturna Dominorum Academicorum deambulatio, & Symphonia Adolescentem Gymnasistam pariter in plateas invitabat, modis omnibus è domo exitum quærentem. Non prohibuit conscius occulte moderator, ita tamen cum amicis ordinavit omnia, ut hic pruritus prima nocte evanesceret.

Scena figitur nocte in urbe.

Personæ.

Florinus, Synt. major.
Rosimundulus, Florini frater.
Bertrandus, moderator.
Staphilus, Florini Famulus.
Antonius, Medicinæ studiosus, Florini cognatus.
Dorylas, Antonii famulus Academicus.
Studiosi Academici.
Symphoniaci.

Actus Primus.

Scena Prima.

Florinus, *Rosimundulus*, *Staphylus*.

FLor. Abi modo Rosimundule, & lectum pete,
Et suaviter dormito ad usque septimam
Ros. Et quando tu cubitum ibis? utique nona iam
Insonuit hora noctis. *Flor.* hanc noctem dabo
Non Morpheo, sed Palladi, doctas agam,
Et litteratas vigilias. *Ros.* præter tuum
Morem. Unde tantus, tam subitus in litteras
Exarsit ardor? *Flor.* nempe cerebrum sentio
Serenius, & ad vigilias aptum caput.
Non solita dispositio ne fors transeat,
Utamur illa. Cudo, dum ferrum calet.
Vade ergo, posce lectulum, somnum precor
Suavissimum. *Ros.* & ego vigilias doctas tibi.

Scena Secunda.

Florinus, *Staphylus*.

Staph. An serio ista loqueris? hanc noctem vigil
Inter libros & litteras totam exiges?
Flor. Dixi, vigilias litteratas hodie agam.
Nostine quales litterati Academici
Soleant vigilias agere? quænam sint iis
Nocturna studia? nunquid audiisti prius,
Ut per plateas Musicos inter choros
Deambularit integra studentum cohors?
Hæ litteratæ vigiliæ & mihi placent.

Quid

Quid cogitari lætius possit? *Stapb.* Tibi
Forsan videri vigiliæ hæ lætæ queunt,
Quando otiosus per diem totam sedens
De nocte facile currere plateas potes;
Ego servulus, qui curro per totam diem,
De nocte malim Stertere in lecto. *Flor.* sile!
Attende! nunquid audis? *Stapb.* à longe audio
Aliquid moveri. *Flor.* Isti Orphei non te movent?
Stapb. Non sum lapis, nec truncus; hos enim Orpheus
Movisse fertur. *Flor.* At ego jam vixdum queo
Me sustinere. Per fenestras è domo
In publicas desilio plateas. *Stapb.* desili,
Ego non sequar. *Flor.* si me recusabis sequi,
Saltem cave, ne cuipiam prodas, domo
Hac nocte me avolasse. Præsertim nihil
Moderator ex te rescíat. *Stapb.* Dudum mea
In te fides notissima est tibi. Sæpius
Equidem solet moderator ex me plurima
De te, tuisque moribus perquirere,
Extollo semper laudibus miris tua
Facta omnia, etsi sæpe conscientia
Reclamet. At si quidpiam factum male,
Tibi imputatur, pernego id factum, nisi
Aliunde rem jam proditam, & notam scio.
Quin imo, nec tunc desero causam tuam;
Sed fingo, quidquid suggerit mihi cerebrum,
Ut si quid à te perperam factum, elevem.
Flor. Parem igitur isthac nocte præstabis fidem?
Stapb. Præstabo. Certus esto. Sed num serio

Alta

Alta ex feneſtra deſilire in publicam
Paras plateam? *Flor.* adeóne me ſtupidum putas,
Ut crura vellem frangere, & collum, & caput?
Non per feneſtras utique, ſed fores domus
Exibo. *Staph* Sed jam arctiſſime occluſit fores
Moderator, has, ni ſpiritus ſis, neutiquam
Tranſire poteris. *Flor.* Clauſerit Cato fores,
Erit alius, qui pandet. *Staph.* & quis? obſecro.
Flor. Tibi cuncta facilis pando, quia fidum ſcio,
Et indigebo forſitan opera tua.
Natalis hodie eſt, aut ſacer ſaltem dies
Hypocratis. *Staph.* & quis Dominus Hypocrates. *Flor.* colit
Illum facultas medica tanquam Principem.
Staph. Credo, quid inde? *Flor.* Principis feſtum diem
Quicunque noſtra in urbe Medicinæ ſtudent,
Celebrare læti geſtiunt & Muſicos
Ducent per urbis compita & plateas choros.
Stap. Credo, quid inde? *Flor.* jungit his ſemet quoque
Antonius, quia & ipſe Medicinæ ſtudet.
Staph. Credo, quid inde? *Flor.* hoc inde; nempe iſte Dominus
Antonius me pariter ad lætiſſimum
Hac nocte conventiculum ſecum trahet.
Staph. Quid cogitas? putasne Domini Academici
Te Gymnaſiſtam, &, ut vocant, puerum ſuo
Patientur in conſortio? *Flor.* cur non? licet
Sim gymnaſiſta, ſum tamen prænobilis,
Plu-

Pluresque novi, eosque de noſtra ſchola,
Qui ſæpius cum Academicis nocte ſubeunt
Hoſpitia. *Staph.* Sit. Putasne Moderator tibi
Licentiam concedet? *Flor.* hac opus nihil,
Nil reſciat Moderator. Habet Antonius
Utpote Academicus propriam clavem. Poteſt
Exire, dum libuerit, è noſtra domo.
Et cum hoc ego. *Staph.* Sed num Dominus Antonius
Conſenſit, atque hoc nocte te ſecum trahet?
Flor. Ægre quidem conſenſit, at tandem tamen.
Staph. Ego neſcio. Non fiderem huic Antonio.
Flor. Cur non? meus cognatus eſt, & plurimum
Me diligit, nil ambigas. *Staph.* num autem ſtatim
Modò exeuntem ſequeris? accinctus etenim
Ut ipſe vidi, ad exitum jam eſt. *Flor.* non ſimul
Exibo cum illo, circuit adhuc dum vigil
Moderator. Hic ſi ceſſerit ſomno, fores
Per Dorylam pandentur; huic etenim dabit
Claves ſuas Antonius.

Scena Tertia.

Florinus, Staphylus, Roſimundulus.

Roſ. * - - Succurrite!
Succurrite citi. *Flor.* quid adeo clamat puer?
Staph. Videamus. Aſt en! ipſus huc. *Flor.* Quid accidit?

Roſ.

* Intra ſcenam.

Ros. Adesne frater vivus, & salvus domi?
An nihil ab ursis læsus? omnino nihil?
Flor. Qualibus ab ursis? *Ros.* in platea publica
Te stare ab ursis obrutum vidi prius,
Hinc territus de lectulo exsilii. *Flor.* tuo
In capite sunt hi ursi. *Ros.* quid in capite meo
Sunt ursi? *Flor.* age, repete lectulum. Per somnium
Intraverunt, per somnium exibunt quoque,
Quos tibi mihique metuis, ursi. *Ros.* sed tamen
Si jam exeuntes denuo te invaderent,
Ac forsan & me? *Flor.* nil metue, collo tenus
Involve temet lectulo, atque mortuum
Simulato te: nam mortuos numquam solent
Attingere ursi. *Ros.* repeto lectum, sed rogo,
Ut frater etiam dormias & mortuum
Simulare te studeas. Secus malum tibi
Erit timendum grande - -

Scena Quarta.

Flor. - Somnia pueri
Ridicula nunquid? nempe me ursis obrutum.
Staph: Mihi non videntur ridicula, sæpe omina
Sunt somnia. Cave, ne impleantur. *Flor.* te quoque
Superstitio anilis tenet? quid somnium
Nisi somnium? *Staph.* me docuit experientia
Quod somnium non omne tantum somnium
Sit; Namque nocte nupera gravissime
Me verberatum somniaveram; dies
Ostendit hoc verissimum. *Flor.* sed somnium
Fraterculi qui poterit impleri? aut ubi

In urbe tota est ursus? *Staph.* Ego certe domi
Manere mallem. Sæpius namque audii:
Amica nox est Nemini. *Flor.* At mihi hæc erit
Amica nox, & læta, quin lætissima.

Scena Quinta.

Bertrandus, Florinus, Staphylus.

Bert. Adhuc ne vigilas more non sueto? *Flor.* incidi
In hunc libellum, curiosas qui refert
Historias, hinc longior me lectio
Detinuit. *Bert.* & quis iste, da videam, liber?
* *Noctambulones.* Forsan & tu horum cupis
Augere numerum? *Flor.* hoc absit. In lecto quies
Deambulatione nocturna mihi
Est gratior. *Bert.* vade igitur. Optata modo
Fruere quiete. *Flor.* promptus imperium sequor.

Scena Sexta.

Bertrandus, Staphylus.

Bert. Tu Staphyle mecum. *Staph.* quod jubes. *Bert.* scis, quam fidem
Mihi debeas. Florinus est herus tuus,
Ego Moderator & caput sum Heri tui.
Dependet à me sors tua. Nisi invenero
Ho-

* Legit titulum.

Hodie fidelem, væ tibi. Dic candide,
Florinus eccur vigilat? an nihil tibi
Innotuit? *Stapb.* utique. Candide dicam
omnia.
Quando Phonaſcos audiit paulo antea
Hic transeuntes, impetu tanto fuit
Abreptus, ut vix contineri potuerit,
Quin per feneſtras deſiliret muſico
Semet choro juncturus. Aſt demum mea
Inflexit animum ſuada, quæ pericula
De nocte plateas publicas oberrantibus
Minentur, ita depinxi, ut extra januam
Florinus egredi horreat. *Bert.* Et hoc ſerio?
Stapb. Non ambigo. *Bert.* cubiculum meum
ſubi.
Nec exeas exinde, donec juſſero.

Scena Septima.

***Bertrandus*, *Antonius*, *Dorylas*.**

Ant. Jam Domine Bertrande abeo condictum
in locum
Et ad ſodales: namque abeſſe non licet
Honore ſalvo. Cæterum, ut dixi prius,
Si geſtiat Florinus, ut geſtit, ſequi,
Et per plateas currere, efficiam brevi,
Ut improba hæc prurigo ceſſet, & ſatur
Florinus omnes noctis, atque extra domum
Excurſiones damnet æternum. *Bert.* tibi
Debeo iteratas gratias, quod jam prius
Fideliter detexeris pueri improba
Conſilia, quod porro ſpondeas manum.

Operamque, qua correctus insanam exuat
Puriginem Florinus & discat domi
Manere noctu. Mollius tamen prius
Tentare remedium juvat, quod si nihil
Profecerit, tum denique statutum antea
Adhibebimus. *Ant.* gaudebo, si levi modo
Insania queat corrigi. Florinum enim,
Ut ipse nosti, diligo, agnatum mihi.
Bert. Lætus igitur Sodalium cætum pete,
Sed Dorylas tantisper hic maneat, jube.
Per hunc monebo, quomodo paratus dolus
Successerit, vel porro quid agendum tibi.
Ant. Hic ergo remane, Doryla, ad vota Domini
Bertrandi. *Doryl.* Here! ignosce, famulus ego sum tuus,
Ubi Dominus, ibi servus ut fiat, decet.
Ant. Imperia Domini servus impleat, decet.
Hic te remanere jubeo, quamdiu volet
Bertrandus. *Bert.* agedum Doryla, mecum veni
Non siccus in cubiculo hærebis meo,
Nec detinebo te diu, venies satis
Maturus ad Sodalium cœtus pios.

Actus Secundus.

Scena Prima.

Bertrandus, Dorylas, Staphylus.

Bert. Sequamini, sed absque strepitu. In angulo
Hoc sta quietus, Staphyle, donec janua

Egressus

Egressus est Florinus, atque extra fores
Stet in placea: tunc age impositam tibi
Fideliter personam. *Staph.* agam dexterrime,
Persona tantùm est muta, qualem sæpius
Egi in theatris. *Bert.* Prœmium fidei feres.
Tu Doryla, notaveris pariter, tibi
Quid fiat agendùm. *Doryl.* repete modo tacitus tuum
Cubiculum. Mox lumine extincto dabo
Initium tragœdiæ risibili.

Scena Secunda.

Florinus intra domum. Dorylas extra domum.

Doryl. Florine! citò Florine! nemò se movet.
Clamare debeo altius. Cito Domine
Florine. Nunc est tempus acceptabile.
Antonius te exspectat, & - *Flor.* Quæso, ne ita
Clamato, ne moderator audiat. *Doryl.* nihil
Ille audit, altum dormiens. *Flor.* clamor tuus
Et dormientes excitat, *Doryl.* metuas nihil:
Altissimos moderator hic ronchos trahit.
Nil audit. *Flor.* obsecro, loquare cautius
Ubi clavis est ad limina? *Doryl.* En! tene.
- an tenes?
Flor. Jam teneo. Salve millies, ò aurea
Clavis. *Doryl.* modo præcedo, tu me clanculum

Sequere. Jam videbo, num Staphylus quoque
Tam dextere impoſitam ſibi perſonam agat.

Scena Tertia.

Florinus, Staphylus perſonatus ut ſpectrum. Dorylas in angulo plateæ proximo.

Flor. * Feliciter! Jo! evaſimus. Ubi Dorylas?
Quid hoc? - heu ſpectrum, eheu ſpectrum! cito
Doryla juvato, Staphyle! Doryla! ſpectrum eheu
Succurrite. - -

Scena Quarta.

Bertrandus, Florinus, dein Roſimundulus.

Bert. - - Quis hic clamor? aut quid accidit?
Flor. Ah Domine Moderator! *Bert.* quid? *Flor.* ah! terror vetat
Quidquam eloqui. Sum mortuus. *Roſ.* quid audio?
Fraterne mortuus es? an urſi forſitan
Te devorarunt? *Flor.* aliquid urſis omnibus
Terribilius me invaſit. Iraſci mihi
Noli Domine Moderator. En plusquam ſatis
Punitus adſum, Lemures! heu! lemures!

Bert.

Bert. Quid Lemures? *Flor.* ò te beatum mi innocens
Fraterculſe! utinam pariter in lecto domi -
Infauſta nox! Platea maledicta! - -

Scena Quinta.

Accedit Dorylas.

Doryl. - - Dominè
Betrande, mittit me Dominus Antonius
Et nomine omnium Sodalium cupit
Te denuo invitatum. Ad horulam unicam
Dignare te illis jungere ad ſtellam auream.
Bert. Humanitati gratias ago debitas,
Sed nequeo vel ad unam horulam diſcedere
Hac nocte, dum Florinus in tali ſtatu eſt
Miſerabili. *Doryl.* Florinus in quo ergo ſtatu eſt?
Roſ. Se dicit eſſe mortuum. *Doryl.* Quid accidit?
Flor. Quæris etiam ſeductor, atque author mali,
Hanc recipe clavem, proh nimis triſtem mihi!
O ſi attigiſſem neutiquam. *Bert.* clavem domus
Ad exitum de nocte Dorylas dedit?
Doryl. Antonio jubente. *Bert.* Florino tamen
Nunquid petente? Siccine - *Flor.* ah! dixi prius
Noli domine Moderator iraſci mihi.
Jam ſum ſatis punitus, excuſſit animo
Inſana deſideria, queis flagraveram,
Noctu vagandi per plateas publicas

Terribile ſpectrum, in limine domus obvium.
Doryl. In limine domus obvium ſpectrum tibi?
Flor. Quaſi ipſus hoc non videris. Nonne pariter
Et te voluit invadere? *Doryl.* Ego vidi nihil.
Flor. Larva illa mortualis, at vivens tamen,
Movensque ſe, nunc parva, nunc altum caput
Inſtar gigantis erigens non ſit tibi
Conſpecta? *Bert.* Quid? Florine? Larva illa tetrica
Famoſa, quæ nunc pumilio, nunc eſt gigas,
Prius in platea publica occurrit tibi?
Flor. In limine ipſo. *Bert*, væ tibi, ſi dextera
Aut ungue deprendiſſet. Hoc ſpectrum ſatis
Vidi ipſus olim, plura de illo inaudies
Ex civibus. *Doryl.* Quid ergo de ſpectro hoc ſolent
Narrare cives? *Bert.* neſcio, quot annis abhinc
Vixiſſe in urbe dicitur petulans puer,
Exire noctu ſolitus, & per publicas
Plateas vagari. Sæpe, ſed fruſtra Parens
Corrigere ſtuduit inſolentem. Denique
Ira gravi correptus hiſce filio
Eſt imprecatus: *Opto, poſt mortem quoque*
Obambulare debeas nocte plateas
Umbra maleſauſta. Valuit hoc votum Patris:
Nam tempore brevi raptus è vivis puer
Viſus plateas publicas & mortuus
De nocte circumcurrere. Pueris tamen
Infeſtus eſt quàm maxime. Quin dicitur

Quos-

Quoscunque deprehendit unguibus suis
Mersisse puteo. *Flor.* Eheu! redit spectrum, juva
Moderator. *Bert.* ubi? nil video de spectro. *Doryl.* etiam ego
Non video quidquam. *Flor.* nempe me solum petit.
Succurrite, ah succurrite! *Ros.* En fontem sacrum!
Aspergite fores, ne ingredi spectrum queat.
Flor. Disparet iterum. *Bert.* vade florine cubitum,
Domi manentem invadere hoc spectrum nequit,
Tantum in plateis obvios secum abripit.
Flor. Ah! præ timore somnus ex oculis fugit,
Debebo tota nocte remanere hic vigil.
Ros. Ego tamdiu vigilare non possum, peto
Quem deserueram, lectulum. *Flor.* solus quoque
Non audeo hic manere. *Bert.* Staphylum huc advoco,
Tecum ille vigilet. Staphyle, Staphyle! -

Scena Sexta.

Accedit Staphylus.

Staph. - - Quid jubes?
Bert. Hic remaneas. Tu Doryla mecum veni.

Scena Septima.

Florinus, *Staphylus*.

F*lor*. Ah Staphyle! vix non exanimis ægre traho
Terrore fractum ſpiritum. *Staph.* præ riſu ego
Vix non crepo. Prô! quantus Heros tu? prius
Pericula noctis cuncta ridebas ferox,
Nunc ſtratus ob puerile figmentum jaces.

F*lor*. Quid aſſeris? puerile figmentum? puto
Loquereris aliter, ſi quod horribile mihi
Hac nocte ſpectrum occurrit, etiam oculis tuis
Seſe obtuliſſet. *Staph.* utique vidi, nec ſemel
Tantum, quod adeo terruit, ſpectrum. F*lor*. procul
Forte è feneſtris videris. ſed me prope
Invaſit & pene unguibus tenuit ſuis.

Staph Propinquior ego & proximus ſpectro fui,
Domusque noſtræ ad limina in veſtigio
Omnino eodem, crede, cum ſpectro ſteti.

Flor. Falſiſſimum hoc; nam debuiſſem te ſimul
Videre. *Staph.* vidiſti utique; nam ſpectrum atque ego
Idem ſumus realiter. Terribilem ego
Induere larvam juſſus (aſt hæc ſub roſa)
Cogente Moderatore finxi lemurem.

F*lor*. Hæc ipſa fingis, nempe ut eximas mihi
Nimium timorem, & ſuadeas ſomnum. Satis

Con-

Consideravi spiritum hunc. Nunc parvulus,
Nunc ut gigas, teque altior duplo fuit.
Staph. Si renuis ergo credere, poteris mea
Pace integram vigilare noctem territus.
Flor. Sistito, quo abis? *Staph.* timori ut occurram tuo
Huc afferam Amuleta contra spiritus
Nefarios, Lemuresque. *Flor.* sed redeas cito.
Vix audeo manere solus unico
Momento. *Staph.* adero, ponas metum, citissime.
Flor. Infausta nox! lætissimam hanc mihi fore
Speraveram. Quam sentio contrarium!
Quàm bene monuerat Staphylus, & bene dixerat:
Amica nox est Nemini. Insanus nimis
Pruritus evagandi, & urbis compita
De nocte percurrendi. Heu! quæ me modo
Conjecit in pericula. - -

Scena Octava.

Florinus, Staphylus.

- - heu spectrum redit!
Spectrum! juvato Staphyle! Staphyle! *Staph.* quid jubes?
En adsto. Credisne modo, quod spectrum, atque ego
Unum sumus realiter? *Flor.* siccine improbe
Me ludere ausus in ultimas angustias
Conjicis herum tuum? & quod improbum magis

Deambulatione nocturna impedis
Dolo maligno? abſcedito in malam crucem.
Staph. Ignoſce, quidquid hactenus feci, haud mea
Id ſponte feci, induere ſpectrum juſſerat
Moderator. Ille edoctus, à quo neſcio,
Te nocte quærere exitum è domo, dolo
Te detinere voluit & ſalubriter
Terrere. *Flor.* Moderator, ais, iſta juſſerat?
Staph. Certiſſime. *Flor.* cur ergo me de hoc non prius
Et clanculum monuiſti? *Staph.* inexſpectata erant
Imperia. Nec me latere dimiſit ſuo
Moderator, imo totius ſcenæ arbiter
Et è feneſtris cautus inſpector fuit.
Flor. Quàm me pudet timoris! at longe amplius
Me pœnitet, quod Dorylæ clavem domus
Reſtituerim veſanus & præceps nimis.
Staph. Quid? reddidiſti Dorylæ clavem domus?
Flor. Hanc Staphyle, ſi recipere denuo potes,
Mihique ferre, cœtera ignoſcam tibi
Omnia. *Staph.* domóne exire tentas denuo?
Flor. Cur non? Pavor me ſolus & vanus licet
Spectri timor detinuit. Hic poſtquam modo
Expulſus, ibo lætior, quo me vocat
Antonius, cœtusque jucundus nimis.
Staph. Inquiro promptus Dorylam, at forſan domo
Jamjam exiit? *Flor.* non exiit, adhuc dum domi

Mode-

Moderator illum detinet. Videas modo
Ut convenire poſſis, at ſolum. *Staph.* interim
Anne hic manere ſolus audebis? nihil
De reduce ſpectro metuis? *Flor.* armatus ſatis
Jam ſum. Diabolus ipſe ſi me invaderet,
Hunc eſſe Staphylum crederem, & non diabolum.

Actus Tertius.

Sena Prima.

Bertrandus, Dorylas.

Bert. Domúsne clavem redditam prius tibi
Florinus iterum repetit? *Doryl.* Ita Staphylus mihi
Bert. An reddidiſti? *Doryl.* neutiquam, feci tamen
Spem januæ pandendæ, ubi primum domo
Exivero. *Bert.* conceptus ex ſpectro timor
Terrorque tantus tam cito evaneſcere,
Et abire in auras potuit? jam denuo
Obire plateas geſtit, & noctu vagus
Percurrere urbis compita? *Doryl.* dubito nihil.
Ipſe Staphylus, quem ſtruxeras pium dolum,
Florino aperuit. *Bert.* Perfidus nimis. Luet
Juro, luet Florinus, & Staphylus ſimul.
Age, ocyus ad Antonium revertere.
Ut, quæ ſtatuimus antea, efficiat, mone.

Doryl.

Doryl. Quid antea ſtatuiſtis? *Bert.* Ex Hero audies.
Prius tamen, ſi Staphylus occurrat tibi,
Clavem petitam redde. Ne dicas tamen,
Hoc me jubente fieri, ut omnis inſcius
Molitionis credar. *Doryl.* ad nutum omnia.

Scena Secunda.

Bertrandus, Florinus, Staphylus.

Bert. Adhuc vigil Florinus? *Flor.* obdormiſcere
Non potero tota nocte. Spectrum ſe meis
Identidem objicit oculis, & ad latus
Adſtare mihi videtur. *Staph.* Egi ego omnia,
Ut hunc timorem demerem, fruſtra omnia
Nec claudit oculum, nec ſinit me claudere.
Bert. Abi ad quietem Staphyle. Ego loco tui
Vigilabo. *Staph.* ſi concedis, obſequor lubens.

Scena Tertia.

Bertrandus, Florinus.

Flor. Quæſo Domine Moderator, ob cauſam meam
Ne te fatiges. *Bert.* Munus hoc poſcit meum
Flor. Intra domum ſat tutus à ſpectris ero.
Bert. Tecum tamen manebo, dum ceſſet metus.
Flor. Jamjam incipit ceſſare, quin jam evanuit.
Obrepit oculis ſomnus & caput grave
Jam titubat. *Bert.* an præſentia mea tam cito
Somnum tibi conciliat, & pellit metum?

Dormi

Dormi ergo, dormi. Fauſta nox fluat, precor
Flor. Abiitne ſpectro omni mihi moleſtius
Spectrum vigil Moderator? at quo ſe interim
Staphylus recepit? Staphyle! Staphyle!

Scena Quarta.

Staph. - - Num Draco
Heſperius iterum abſceſſit? *Flor.* Eluſus dolo,
Et arte noſtra. *Staph.* Ergo triumpha, an vides
Quid dextera hæc contineat? *Flor.* an clavem domus?
Staph. Hanc denique mihi Dorylas, ego tibi.
Flor. O chara clavis, quam prius male providus,
Timidusque nimis abjeceram. Quam te modo
Recipio lætus! Sed ubi Dorylas modo?
Staph. Præceſſit, atque Antonio adventum tuum
Pronuntiavit. *Flor.* ergo veſtes huc cito.
Non me ſequeris Staphyle? *Staph.* grates maximas.
Dormire malim, quam plateas currere
Flor. Vah pigrum aſellum! dormias ergo, & utinam
Moderator adeo pronus in ſomnum foret.
Sed neſcio quæ, hac nocte præſertim, ſtryges
Invaſerint hominem. Angulos omnes domus
Percurrit, ut Judæus ille, quem ferunt
Nunquam quietum ſiſtere in eodem loco.
Tu Staphyle ſaltem tamdiu mecum mane,
Dum

Dum dormiat Moderator, & tutum exitum
Reperire detur. Interim festo, ut decet,
Conventui me accingo. gladium porrige.
Staph. Sic indues. *Flor.* ex latere, non humeris decet
Dependeat. *Staph.* quin more jam sueto diu
Noctambulonum pendeat ab humeris. Ita
Olim ipse vidi quempiam armatum foras
Prodire noctu. *Flor.* Num fuerat Academicus?
Staph. Non fuerat, at volebat in tenebris tamen
Talis videri. Nempe sicut tu modo.
Tum vulnerare cœpit innocuos licet
Lapides plateæ & fortiter gladium vibrans
Loco cruoris è silice flammas ferox
Elicuit Heros. Ecce! sic -- *Flor.* cessa, obsecro,
Ne strepitus iste denuo infestum advocet
Domus Draconem. *Staph.* Nomine hoc quem denotas?
Flor. Dubitare potes? nunquid Hesperius Draco,
Quin hoc Dracone pejor est semper vigil
Moderator? *Staph.* Ergo & pallium modo indue.
Flor. Cur pallium de nocte? *Staph.* sic pariter solent
Noctambulones tegere semet palliis
Totamque faciem involvere. Ecce sic. Simul
Fronti imprime alte pileum. Ecce sic. - - *Flor.* bene
Omnia notasti, credo, quod sæpe plateas
Obambularis ipsus. *Staph.* antequam fui

Stu-

Studiosus, atque famulus. *Flor.* ergo isthac quoque
Mecum ambulabis nocte. *Staph.* si tandem velis,
Consentio. Sed scrupulus angit me novus,
Moderator hæc si resciat? *Flor.* Quid resciet?
Cautissime rem agemus. Explora modò
An dormiat, longosque jam ronchos trahat.
Staph. Periculosa jussa sunt; sequor tamen.
Flor. Sed pallium cum pileo redde, & tuum
Assume. *Staph.* sed non habeo gladium. *Flor.* sufficit
Unus duobus: mutuabimus vices.

Actus Quartus.

Scena Prima.

Antonius, Bodavinus, Albuinus, Promius, Gallatius, Dorylas.

Ant. * An jam domo Florinus excessit? *Dor.* brevi
Cum Staphylo aderit. *Ant.* igitur initium damus
Comœdiæ. *Bodav.* Choragus esto. Strenue
Agemus omnes. *Alb.* Militem nunquid trucem
Me vestis hæc, & vultus, & barba hæc probant?
Prom. Et me gradivus crederet alumnum suum.

Gall.

* ad Dorylam.

Gall. Et me Sagata Pallas. *Ant.* Ergo ad rem, ſtate
Utrinque in inſidiis. Video puerum prope
Hinc prodeuntem.

Scena Secunda.

Florinus, Staphylus.

Flor. - - - Tuta jam ſunt omnia:
Pergamus ergo ſtrenue. O quanta Staphyle
Nunquid voluptas nocte de media forum
Et compita urbis terere generoſo pede!
Staph. Mihi voluptas alia quæritur. Citò
Caupona, quà ſe Antonius cum cœteris
Sodalibus recipit, adeunda eſt Here.
Stellam petamus auream recta. *Flor.* Tibi
Si præplacet Caupona, mihi lætiſſimæ
Noctis tenebræ præ aurea ſtella placent.
Jam ſtringo gladium, quotquot hic cerno lapides,
Fingo eſſe turcas, irruo, atque demeto
Barbarica capita. *Staph.* ſiſte! non tuta eſt ſatis
Hæc pugna. *Flor.* cur? quis ſubſidia turcis feret?
Staph. Ferire lapides noctu, ut audis, eſt idem
Ac provocare cœteros, ſi fors quoque
Sunt in plateis. Si quis Academicus foret
Hic in propinquo, væ tibi. *Flor.* Quid cogitas?
Hominémne timeam, ſpectra qui riſi prius?
Tamen videbo Staphyle, num nemo moveat

Hac parte gressum. *Staph.* Neminem adverto quidem:

Flor. Age ergo ferrum, turcicum bibe sanguinem,

Macta, trucida, vulnera, feri, neca.

Staph. Quæ barbarorum funera! videris mihi

Novus esse Scanderbegus. Ast ecce hìc domus

Lapidem angularem. Nunquid hic Vezirius

Et barbarorum summus est ductor? *Flor.* veni,

Congredere, si audes, congredere. *Bodav.* venio statim,

Venio. *Flor.* Quid hoc? recedimus. *Staph.* sero nimis

Fugam paras. Jam jam imminet. *Flor.* Gladium meum.

Absconde, téque hinc eripe. Evadam dolo.

Scena Tertia.

Bodevinus, Florinus.

Bod. Quem provocâsti, cernis. Age ferrum exsere,

Congredere. *Flor.* Parce Domine. Certe neminem.

Ego provocavi. Repeto contubernium

Pacificus, atque inermis, ut coram vides.

Bodav. Quis ergò provocavit? utique videris

Audiverisque? loquere. *Flor.* Turcarum Ducem

Vesirium, quis nescio, finxit sibi
Se cernere hoc in Capite prægrandi domûs.
Hunc provocavit ergo. *Bod.* Turcarum ducem?
Vel tu, vel ille, quisquis hoc finxit sibi,
Stultescitis. Sed video. - - - - persequor hominem
Subsiste. Túne me provocâsti? *Staph.* Nihil
Minus, nec uno verbulo. *Flor.* testor id ego:
Est innocens hic. *Bod.* Quid igitur nocte plateas
Percurris? *Staph.* haud percurro; sed dominum meum
Inquiro, quem reducere jubeor domum.
Vides inermem, gladius est nullus mihi.
Bodav. nunc innocentem credo. Persequor alium,
Qui provocavit. - - -

Scena Quarta.

Florinus, Staphylus.

Staph. - - - Sint Deo laudes, Here,
Evasimus periculum grande nimium.
Flor. Non terret hoc periculum. At gladius ubi,
Quem tradidi tibi antea? *Staph.* Exemplum tuum
Sum strenue secutus, abjeci procul.
Flor. Et quò? *Staph.* Plateæ in angulum. *Flor.* recipe cito,

Et

Et affer huc. *Staph.* deinde cauponam via
Breviſſima petamus. Eſt ſecurior
Hæc, quàm platea. *Flor.* Vappa! qui primo impetu
Terretur. Animus creſcit ex diſcrimine.
Obeo plateam lætior, ſed cautior.

Scena Quinta.

Florinus, Staphylus, quatuor ſtudioſi perſonati.

Prom. Fugiamus. Inſequentibus ſumus impares.
Gallat. ſequimini, & tenete. *Flor.* vah! cruda pecora!
Heu! Staphyle! Staphyle! *Staph.* Quid video? num ſaucius
Procumbis? *Flor.* Haud ſum ſaucius; ſed impetu
Currentium proſtratus, impletum modo
Eſt ſomnium Fraterculi. Urſis obrutus
Jaceo in platea. Da manum. Non me queo
Levare ſolus. *Staph.* condoleo. Diſcedimus
Cito è Platea. *Staph.* ſed ubi Pileus tuus?
Flor. Excuſſus eſt cadenti; at haud aberit procul.

* Prorumpunt è Scena quatuor ſtudioſi, alii tanquam fugientes, alii, ut perſequentes & quaſi impetu curſus, ſtudioſe tamen humi proſternunt Florindum. Alius ejusdem pileum capite delapſum inadvertente Florino tollit & auffert.

Redde modo gladium. *Staph.* quomodo queam reddere
Necdum repertum? *Flor.* Quære melius, & cito
Ego quæro pileum. *Staph.* Puto, foret tutius
Statim hinc abire, & petere cauponam cito.
Flor. sine gladio, sine pileo? *Staph.* næ pallium
Perdatur etiam, timeo. *Flor.* jam quære gladium,
Ego Pileum.

Scena Sexta.

Florinus, Solus quærens pileum.

Flor. - - Hic puto, video aliquid. Est nihil.
Ibi jacet. Deceptus iterum sum. Procul
Abesse tamen haud poterit. Invenio nihil
An fascinatus pileus mala à strige
Sursum per auras avolavit?

Scena Septima.

Florinus, Gallatius, Antonius, Chromius, Dorylas.

Chrom. * Ubi Gymnasista visus est tibi? dic, ubi
Noctambulo? *Gall.* non hinc procul. *Flor.* num me petunt?
Heu! fugio, fugio. *Chrom.* Siste! siste - - pallium

Jo-

* intra Scenam.

Joſeph novus reliquit in mea manu.
Gall. An perſequamur ulterius? *Ant.* haud eſt opus,
Jam ſtant parati cæteri, in quorum manus
Puer incidet. *Chrom.* Quin, credo, punitus ſat eſt,
Hac nocte gladio, pileo, atque pallio
Spoliatus. *Ant.* Imo molior adhuc dum genus
Pœnæ aliud, & Cataſtrophen Tragœdiæ,
Quam cœpimus bene congruam, evolutio
Scenæ ſiet mirabilis. Calidiſſimas
Puero movebit lachrimas, riſum mihi,
Vobisque.

Scena Octava.

Accedit Albinus perſonatus ut Miles.

Ant. - - - Numne incurrit in veſtras manus
Florinus? *Alb.* hæret, & quidem, ut credit puer,
Sub militum cuſtodia: nam milites
Dexterrime ſimulavimus nutu tuo
Ant. Et quid agitat, dicitque? *Alb.* plorat, & gemit,
Subinde frendens execratur impetum
Noctu vagandi. Antonium quoque ſæpius
Inclamat. *Ant.* Anne & prodidit nomen ſuum?
Alb. Nihil minus, quin ſe eſſe ſtudioſum negat,
Sed exterum, qui advenerit in urbem recens.

Ant. Ergo ſimulate porro: Puerum, qui ſuum
Non audet edere nomen, & ſine pileo
Plateas oberrat, jure ſuſpectum omnibus
Furunculum eſſe, craſtina per vos die
Ad judicem ducendum. *Doryl.* acerba moliris nimis
In proximum cognatum. *Ant.* acerba ſi ſiat
Medicina, dummodo ſanet, eſt optabilis.
Vos interim redeatis ad ſtellam auream,
Gladium tamen cum pallio, atque Pileo
Florini in unum Doryla collige locum.
Bodov. Ecce gladium! *Gall.* Ecce pileum! *Crom.* ecce pallium!
Bodov. Nunquid ſumus nos milites valde pii,
Qui ſpolia juſto Marte parta reddimus.
Doryl. quò deferenda hæc ſpolia? *Ant.* me ſequere, ſtatim
Docebo. Te quoque Albuine pluribus,
Quid porro agendum, ut inſtruam, mecum veni.

Actus Quintus.

Scena Prima.

Bertrandus, Antonius, Dorylas in corbe geſtans, gladium, Pallium, & pileum Florini.

Bert. Eſt acta belle fabula; at nondum tamen
Peracta, nam Florinus ubi? *Ant.* Socii mei
Mox attrahent, quos milites credit puer.

Bert. Bene eſt. Ego ſimulabo me ignarum omnium,
Quæ geſta ſunt hucusque. *Doryl.* ni fallor, fores
Pulſantur. *Ant.* adſunt nempe, quos dixi, mei
Commilitones. Interim abeo non nihil
In tempore rediturus. *Bert.* hæc ſpolia quoque
Huc defer intus Doryla. - - -

Scena Secunda.

Bertrandus, Albuinus, Bodovinus.

Bert. - - - - - Quis ad fores?
Quid nocte media milites noſtram ad domum?
Alb. Admitte tantùm. Adducimus alumnum tuum.
Bodav. Deprenſus hic de nocte per plateas puer
Vagatus eſt. Cum prodere negaret ſuum
Nomen ſtatumque. Jure ſuſpectus fuit,
Et interim cuſtodiæ, ut mos eſt, datus.
Tandem ſuperveniens aliquis è civibus
Teſtatus eſt ſe noſſe puerum perbene:
Eſſe, ſtudioſum nobili natum domo,
Tuæque curæ creditum. Hinc adduximus
Alb. ſi vera civis dicta ſunt. Tibi reddimus
Tam Charum alumnum; ſin minus, reducimus
Ad militum cuſtodiam, dum craſtina

Magis patefcat, quis vel unde fit puer.
Bert. Sunt vera civis dicta. Veftræ gratias
Humanitati. Capite congiarium.
Alb. Grates ago, & fauftiffimam noctem precor.

Scena Tertia.

Bertrandus, Florinus.

Bert. Unde igitur huc florinus? aut quid in foro
De nocte quod agat, habuit? & cur hic adeft
Quafi Trivialis fcurra, & absque pileo?
Flor. Ah Domine moderator, prius linguam mihi
Terror ligavit, nunc ligat acrius pudor.
Bert. Unde hic pudor?

Scena Quarta.

Accedit Staphylus palliatus.

Bert. - - - - Sed Staphylus unde? num tibi
Etiam evagari placuit, & nocte plateas
Obire? *Staph.* Parce Domine Moderator, mea
Hæc culpa non eft. Omnibus ftudui modis,
Ut ipfe nofti, inhibere Florinum, domo
De nocte nolit egredi; at poftquam omnia
Fruftranea effe monita vidi, denique
Non aufus in periculis tantis herum
Deferere folum, credidi munus fore
Famuli fidelis, quo præeat herus, fequi.

Flor.

Flor. Quid? tu dediſti monita, ne domo exeam?
Cur ergo clavem à Doryla ad domus fores
Ipſe petiiſti? & denique obtentam mihi
Huc attuliſti? *Bodov.* ſiccine? *Flor.* An non ſedulo
Num dormiat Moderator, & lecto hæreat
Affixus, exploraſti, ut exitus foret
Utrique noſtrûm tutior? *Bert.* belle omnia.
Staph. Sit hoc. Sed an non poſtea vixdum foras
Et in plateam publicam egreſſum infimis
Precibus rogavi, ut denno redires domum,
Ne perdito jam pileo, & gladio ſimul
Amitteres & pallium. *Bert.* cum palliis,
Gladiisque cincti exiſtis? ubi modo omnia?
An forte cum ſolvendo non erat hoſpiti
Florinus, hoc pro pignore reliquit? *Flor.* domum
Nullam, minus cauponam adivi. *Bert.* quomodo
Ergo gladius cum pileo, atque Pallio
Deperditus? *Flor.* Funeſta nox! ſtultus nimis
Pruritus! heu quàm caro ſtat hodie mihi!

Scena Quinta.

Bertrandus, Florinus, Dorylas.

Doryl. Nondum domum rediit dominus Antonius
Bert. cur jam redierit? jamne conventus hilaris
Sodalium ſolutus eſt? *Doryl.* Nondum quidem;

 Sed

Sed evocavit, nescio quis, Antonium
Domúmque redeat, monuit, ut negotium
Non differendum absolvat. Et sane audii
Invitus hoc; nam læta nox inter jocos
Meros fuisset acta. *Bert.* Florino quoque
Nox læta fluxit in plateis publicis.

Doryl. Ergo in plateam publicam exivit iterum
Florinus haud deterritus spectri metu?

Flor. Utinam forem deterritus inani licet
Terrore spectri: quàm salutaris mihi
Timor hic fuisset! - improbe nimium puer
Cur prodidisti, quem salutarem dolum
Instruxerat Moderator? *Bert.* Anne ergo Staphyle
Tu prodidisti hæc omnia? *Staph.* Ignosce Domine
Moderator, adeo invaserat spectri timor
Florinum, ut ægrè traheret animam. Proximum
Instare mortis credidi periculum
Hero meo, nisi dedocerem, & panderem
Fuisse tantum panicum spectri metum.
Sic exigebat nunquid in dominum suum
Famuli fides, pietasque? *Bert.* pietatem & Fidem
Remunerabor. Pallium exue ocyus,
Dimissus à famulitio, quo lubet, abi,
Et hoc abi momento. Abi inquam, vel foras
Ejicio te vi. *Staph.* Ah domine moderator! sacra

Per

Per omnia - *Bert.* ſile! *Staph.* Domine Florine! precibus
Tuis miſello - *Flor.* cede, tu mali mei
Es ſola cauſa. *Staph.* Domine Doryla, obſecra
Pro me. *Bert.* ſileto! ſunt preces fruſtraneæ.
Diſcedito, vel addo fuſtuarium;
Nam tale talis famulus eſt bene meritus
Salarium. *Staph.* Nefaſta nox! *Bert.* abi cito.

Scena Sexta

Florinus, Dorylas.

Flor. Et Dorylas eſt cauſa præſentis mali,
Dum tradita à te clavis eſt Staphylo. *Doryl.* tamen
Ipſe petiiſti, ut traderem. *Flor.* petii; ſed heu!
Quàm improvide! *Doryl.* Quid accidit demum mali?
Fors incidiſti noctu in aliquot ebrios
Noctambulones, à quibus habitus male
Mulctatus es verberibus? *Flor.* ah! mille potius
Toleráſſe vellem verbera: at gladius ſimul
Cum pileo, atque pallio, & tali quidem
cum pallio, tam ſplendido, & miſſo recens
A Patre, jam deperditus nocte unica.
Doryl. Et quomodo hæc deperdita? an caſu? an dolo?

An

An vi? *Flor.* ſat ipſus neſcio. Hoc ſolum
ſcio,
Sunt perdita. O maledicta nox! ò impetus
Domo evagandi inſanus! utinam pallium
Saltem reciperem! *Doryl.* quomodo illud
perditum?
Flor. Noctambulones aliquot ex Academicis
Quo, neſcio, prodente, cognorunt, forum
Plateasque Gymnaſiſtam obire, cum illico
Facto impetu omnes irruunt. Fugiens ego
Cùm me teneret aliquis, in manu illius
Trepidus reliqui pallium. *Doryl.* an notus
tibi
Academicus hic? *Flor.* ignotus omnino mihi eſt.
Doryl. ſpes ergo ſupereſt tenuis, aut nulla
penitus
De recipiendo pallio. *Flor.* an verò poteſt
Retinere, quisquis pallium hoc habet, bona
Tutaque conſcientia? *Dor.* Tutiſſima;
Noctambulones namque gaudent juribus
Licentiaque militum, nulla ſpolia
Reddere tenentur. *Flor.* perdita ergò hæc
omnia
Sint absque ſpe? *Doryl.* mortalium vix
quispiam
Juvare poterit. Confuge ad divorum opem.
Scis ipſe divum Antonium ad res perditas
Rurſum obtinendas plurimis potentem opem
Tuliſſe. Votum concipe, & divum ſtude
Tibi demereri Antonium. *Flor.* votum lubens

Con-

Concipio, ſed dic, quale? reſponſoria
(Nam ſic vocantur ſolitæ ad hunc Divum preces)
Recitabo centum. *Doryl.* gratius aliquid petit
Hic Divus à te, nempe te voto obliges,
Quod absque venia Superiorum neutiquam
Exire noctu in publicam plateam velis.
Flor. Hoc absque voto, crede, præſtabo ſatis.
Edoctus hodie, quid ſit extra limina
Domus vagari nocte. Propoſitum efficax
Feci, facioque denuo, nemo amplius
De nocte me viſurus eſt extra domum.
Dor. laudo pium propoſitum: & hoc voto quoque
Firmabis? *Flor.* ergo voveo Divi Antonii
Honoribus, nunquam amplius, nunquam amplius
Absque venia extra limina efferam pedem,
Amiſſa ſi reperero. Saltem pallium
Ut Redeat, ò Sanctiſſime Antoni! juva.

Scena Septima.

Florinus, Antonius, Dorylas.

Ant. Florine, cur, quod unice exoptaveras,
Non es ſecutus Dorylam ad ſtellam auream?
Te cupidus exſpectaveram ſatis diu.
Fors limina Moderator occluſit tibi?
Flor. Utinam fuiſſent clauſa millenis ſeris,
Et obſerata limina! ò quàm improvide
Tot precibus, ut concederes clavem domus,
Tibi fui moleſtus. O quantum luo

He-

Horam unicam, qua nocte ſum auſus publicas
Calcare plateas! *Ant.* Quid igitur mali accidit?
Doryl. Vix nempe limen ædium egreſſus manus
Noctambulonum incurrit, atque pileum
Simulque gladium, & pallium amiſit miſer.
Ant. Illumne gladium argenteum nuper ab Avo
Dono datum? *Flor.* ah ipſiſſimum. *Ant.* paulo antea
Stantem in plateis quempiam audivi ſibi
Congratulantem de reperto per viam
Argenteo enſe, & pileo, undique aureis
Cincto parergis. *Flor.* Gladius hic meus fuit,
Et pileus. *Doryl.* Jam Antonius potens manus
Cœpit operari, jam aliqua ſe produnt ſpei
Læta omina. *Flor.* & quis ille, qui à ſe talia
Reperta lætabatur? anne Academicus?
Ant. Inter tenebras noctis haud potui ſatis
Diſtinguere hominem. *Flor.* quisquis is ſit, ò potens
Patrone, Dive Antoni! hominis animum rege,
Stimulaque conſcientiam, ut reddat ocyus
Inventa.

Sce-

Scena Octava.

Bertrandus, Antonius, Florinus, Dorylas.

*Bert.** Jamne audiisti, quàm hilariter traduxerit
Florinus istam noctem? *Ant.* aliqua modo audii.
Condoleo. *Bert.* sed ego rideo, & plaudo, & tibi
Florine multum Gratulor lætissimam
Recreationem. *Flor.* Domine moderator! feri,
Et verbera, ut placuerit, unum deprecor,
Desistito insultare jam misero satis.

Ant. Deperditus enim Gladius, atque pallium
Pœnæ genus sunt neutiquam leve. *Bert.* pallium
Quod attinet, Florine curas exue.
Jam teneo manibus. *Flor.* pallium meum? *Bert.* tuum,
Mox afferam. *Flor.* ò quàm mira, quàm potens manus
Antonii est. Quas gratias referam tibi
O Dive! *Doryl.* vota facta si comples, erit
Antonio hoc gratissimum. *Flor.* fideliter
Complebo. Me nunquam amplius, nunquam amplius
Nox ulla cernet ædium extra limina.

Bert. En pallium! *Flor.* Quid video? Staphyli pallium hoc?

Bert. Staphyli fuit, nunc est tuum. Cedo hoc tibi.

Age


* ad Antonium.

Age, indue, ut videamus, an belle tuis
Conveniat humeris. *Flor.* pallio famuli tegar?
Sic in schola apparebo craſtina die?
Bert. Indue, jubeo. *Flor.* prô gaudium nimis breve,
Quàm luſus à te ſum! *Bert.* indue, inquam. Quid modo
Vobis videtur? *Dor.* qui ante florinus fuit,
Videtur eſſe Staphylus. *Flor.* ò Sancte! ò potens!
Antoni, an ergo deſpicis votum meum?
Bert. Et quale votum? *Dor.* vovit, & ſanctè quidem
Vovit, ope Divi Antonii ſi perdita
Receperit, nunquam amplius noctu foras
Se proditurum. *Bert.* Multa Florinus vovet,
Sed pauca ſervat, ſemper inconſtans puer.
Flor. Servabo fideliſſime poſthac, modo
Succurre Dive Antoni. *Ant.* an auris decipit?
An limina Domus pulſat aliquis? Doryla
Accurre, num quis ad fores ſiat, vide.
Bert. Florine! tandem lectulum feſſus pete.
Somnumque ſuavem poſt tot ærumnas cape.
Flor. Liceat Domine Moderator hanc noctem integram
Vigilare. *Bert.* cur? ut denuo domo exeas?
Flor. Orabo tota nocte Divum Antonium,


Ut vota tandem exaudiat, & in craſtinum
Reddi faciat amiſſa. Saltem pallium.
Bert. Hic, hic habes jam pallium. *Flor.* hoc in pallio
Non audeo apparere publica in ſchola.
Succurre Sancte Antoni, hac tantum vice
Succurre! *Bert.* fruſtra es. Cœlites non audiunt
Petulantium, ſontumque puerorum preces.
Flor. Petulans fui, fatebor, aſt poſthac ero
Totus alius. *Ant.* Num quisquam ſtat ad fores?
Bert. Quis ille? *Doryl.* vidi neminem; aſt in limine
Intra domum (mirabile) hic corbis ſtetit
Depoſitus. *Bert.* à quo depoſitus? *Ant.* Et limine,
Foribusque clauſis? *Ant.* & quid in corbe hoc latet?
Doryl. Cerno gladium cum pileo, atque pallio.
Flor. Miraculum! *Bert.* Putasne divum Antonium
Patrare mira in Gratiam ruentium,
Quò cæca mentem improvidam, quà non licet,
Effuſioris indolis ſtudia trahunt?
Quæ rurſus accipis, piis hæc fraudibus
Dolisque debes. Gratus ut ſias, tua
Promiſſa comple; nam ſecus, moneo, time,
Ne puniaris gravius. *Flor.* haud monitis opus

Sevabo, quod promiſeram. Nunquam amplius,
Nunquam amplius nox ulla me cernet foris,
Extraque limen ædium, nunquam amplius.
Vos Gymnaſiſtæ diſcite exemplo meo
Noctu domi manere. Nox nulli favet.
Nec ſemper ipſis tuta fluit Academicis.

Q. A. M. D. D. V.
H. E. G.



NE-



NEMO.

Argumentum

Scenulæ noſtræ ſuppeditavit nemo. Solent nempe Pueri, cum in eorum delicta inquiritur, pertinaciter omnia negare, ut denique nemo reus appareat: ab hoc vitio puerilem, & ſimplicem ætatem deterrebit nemo.

Scena figitur In oppidulo Nuſpiam In domo Ludimagiſtri.

Perſonæ.

Beryllus, Filius Dynaſtæ.
Vulpulus, Ephebus Dynaſtæ Honorarius.
Scribacius, ſcriba Dynaſtæ.
Dorylas, ſtabularius Dynaſtæ.
Duo pediſſequi Dynaſtæ, perſonati Fauni.
Tityrus, Pueruli.
Melibæus, Ruſtici.
Menalcas.
Ludimagiſter.
Pueri ſcholares.

Pars Prima.

Scena Prima.

Beryllus, *Vulpulus*, *Scribacius*, *Dorylas*, *Ludimagister.*

B*eryllus ad Ludimagistrum.* Ergo mihi non credis illustri Viro?
Servos meos interroga. *Vulp.* Hac quidem vice;
Sic testor, haud mentitus est Dominus Baro.
Scriba. Testor ego pariter. Ipsus audivi graves
De te querelas civium, & pro munere
Meo annotavi in publicis scriptis. *Beryll.* Cave,
Sincerus iterum moneo. Compesce melius,
Quos disciplinæ tradidit nuper tuæ
Toparcha pueros civium, nisi velis
A Pædagogi munere amotus iterum
Per rastra panem quærere. *Ludimag.* an culpa est mea,
Si sint petulci civium pueri? Patres
Cur filios non corrigunt? *Scrib.* Curam hanc Patres
Tibi relinquunt. Pædagogus factus es,
Ut litteris, & moribus rite instruas
Pueros tibi concreditos, & corrigas
Petulantiam. *Ludim.* Qui corrigam, si nesciam,
Quis sit reus tot inter? *Vulp.* Hoc ut rescias,
Inquirere tuum est. *Lud.* Centies una die
Inquiro: Pueri! pulverem tantum in schola

Absen-

Absente me quis movit? unde inconditus
Qualem audii ipsus, clamor? aut quis in foro
Rixatus? aut garrivit in templo? citò
Fateamini. Quid refero responsi? nihil
Se scire dicunt. Nemo se prodit reum.
Nemo excitavit pulverem. Nemo in schola
Clamavit, aut rixatus est. Nemo in sacra
Garrivit æde. Quidquid est factum malè,
Hoc Nemo fecit. Nemo reus est omnium.
Hinc castigare neminem juste queo.

Vulp. Si Pædagogus essem ad horulam unicam,
Pueros docerem candidè omnia eloqui,
Faceremque. nemo Neminem posthac reum
Auderet accusare. *Ludim.* Quo, quæso, hoc modo?
Atque arte? doceas obsecro. *Scrib.* Non te pudet
Jam Pædagogum discere à puero modum
Pueros regendi? *Beryll.* Video, non aptus tuo
Es muneri. Monebo denuo Patrem,
Alium tibi substituat hoc in oppido
Ludimagistrum. *Doryl.* Domine Baro Domino Patri
Dignare Commendare me fidum diu
In arce vestra servulum, ut munus mihi
Ludimagistri deferat. *Beryll.* Posses modo
Vel pauca legere, & scribere, hac adhuc die
Conarer, ut succederes inepto huic.

Doryll. Etsi legere, vel scribere haud norim; tamen
Pueros sciam compescere. Scutica hæc potest

Equos domare, parvuli haud erunt equis
Ferociores. *Vulp.* Domine ſcribaci, tibi
Hoc Pædagogi munus aptum ſat foret.

Scrib. Ego Pædagogus? ſtupide! *Beryll.* plurimos ego
Jam candidatos muneris tanti ſcio.
Eſt abſolutus artium, & Juris quoque
Studioſus hoc in oppido, qui brachio
Utroque ſpartam hanc ambit. Accedo Patrem,
Ludimagiſtrum in oppido inſtituat novum.

Ludim. Ah Domine Baro, da perbrevem ſaltem moram.
Scholam ſubi. Videbis hac tandem die,
Annon ſciam compeſcere pueros meos.

Beryll. Scholas tuas ſubire me? quid cogitas?

Ludim Vel Dominus hic ſcribacius ſaltem. *Scrib.* mihi
Graviora ſunt negotia. Hac adhuc die
Plus, quàm triginta litteras ad Principem
Decet expedire. *Ludim.* Vulpulus ſaltem mihi
Sit oculatus teſtis, an non denique
Petulantiam Puerorum, & inſolentiam
Quamcunque poſſim frangere, & munus meum
Implere cum totius oppidi Bono.

Beryll. Si Vulpule ipſus ingredi ſcholam velis,
Et omnia explorare. Prohibeo nihil.

Vulp. Sed quis meus character? aut quæ authoritas?
Vel quæ poteſtas mihi tribuitur in ſcholam?

Ludim.

Ludim. Vice Pædagogi authoritas. *Vulp.* Vicebuzlium
Me vis tuum agere? *Ludim.* si parùm hoc, eris mihi
Æqualis, & quasi simul Regens. *Vulp.* Quasi! Quasi! *Ludim.* parumne? *Vulp.* In gratiam tandem tuam
Intrabo, quasi supremus Inspector scholæ,
Et visitator iure cum plenario.
Ludim. Quocunque titulo. Dummodo testis mihi
Et Advocatus sis ad Illustrissimi
Domini tribunal. *Beryll.* sit igitur, ego nomine
Domini Parentis Constituò te, Vulpule,
Ut sis supremus hac die Inspector scholæ,
Fidúsque referas omnia Patri, vel mihi:
Nos ambulemus interim. Dominus tamen
Scribacius redire debebit domum,
Ut expedire possit hac adhuc die
Plusquam triginta litteras ad Principem.
Scrib. Sequi tamen te potero: nam manus mihi
Est expedita. Siquidem velim, unicâ
Horâ facilis expèdio centum litteras.
Doryl. Tibi dignitatem Vulpule novam gratulor.

Scena Secunda.

Ludimagister, Vulpulus.

Ludim. Jam nos scholas ingredimur. *Vulp.* Expecta, decet,
Præire me. *Ludim.* Superbus es nimis. Simul

Ingredimur ambo, & pariter æquali Gradu.
Vulp. Sit; ſed tamen mihi vendico dextrum latus.
Ut Viſitator, ſummus Inſpector utique
Ludimagiſtrum ſimplicem præeam, decet.

Scena Tertia.

Ludimagiſter, Vulpulus. Pueri Scholares Gaſtrimargulus, Gorulus, Glaphyrus, Ruffulus, Daſtilus, Bartolus, Pigrellus, Stupacius, Giſpilus &c. Auditur intra ſcholam clamor, & Strepitus.

Bart. Silentium! Ludi Magiſter advenit.
Ludim. ad Vulp. En quàm verentur, atque reverentur mei
Me ſubditi. Vix conſpicior, in ordinem
Seſe recipiunt ſinguli, & ſcamna occupant.
Vulp. Sed antea qualis tumultus in ſchola?
Quis clamor, & rixantium ſtrepitus? adhuc
Scholam excitati pulveris nubes replet.
Ludim. Quis excitavit pulverem? Quis per ſcholam
Vagatus, aut rixatus eſt? dic Barthole,
Bart. Ego neſcio. *Ludim.* Dic Giſpile. *Giſp.* etiam neſcio.
Ludim. Tu, Ruffule, inquietus es ſemper puer,
Amansque rixæ, nonne tu rixatus es?
Ruff. Scamnis ego quietus, ut ſutor pice
Affixus hæſi. *Ludim.* Daſtilus, ſatis ſcio,

Daſti-

Daſtilus ita clamavit. *Daſt.* Eſt falſiſſimum.
Præ piſce mutus ſemper hoc ſedi loco
Immobilis. *Ludim.* Tu Gorule ſaltem videris,
Vel audieris. Edicito, & tantùm citò.
Quis viſus extra ſcanna vagabundus tibi?
Gorul. Vagatus extra ſcamna nemo à me fuit
Aut viſus, aut auditus. *Glaph.* Omnes ſedimus
In ordine quietiſſimi. Nemo pedem,
Manumve movit. *Ludim.* Nemo? *pueri omnes.* Nemo, nemo. *Bart.* ſic
Teſtamur omnes. *Vulp.* * Fregit hoc ſcamnum quoque
Rupitque, nunquid, Nemo? *Ludim.* Tu Stupax ſoles
In ultimo hoc ſedere ſcamno. Tu ſine
Dubio inſolens rupiſti. Age, nega, ſi audeas.
Stupax. Scis ipſe, jam ultra quatriduum iuſſus ſum humi
Sedere, quo modo potuerim rumpere?
Ludim. Socius tuus Pigrillus in ſcamno fuit,
Ergo Pigrillus rupit. *Pigrill.* Etiam ego dies
Jam quatuor, humi flecto. Scamnum ne quidem
Tangere licebat. *Ludim.* Quis igitur rupit? *Bart.* Mihi

* Vulpulus vidit in ſchola ruptum ſcamnum.

Nil constat. *Gisp.* Ego nil vidi. *Ruff.* Ego studiis meis
Intentus, atque totus absorptus, nihil
Adverti. *Gisp.* Ego pariter quid agerent cæteri
Parùm fui sollicitus. *Gorul.* Et ego neminem
Vidi moventem quidpiam. *Dast* Nemo fuit
Nos inter, hoc qui fregerit scamnum. *Vulp. ad Ludim.* * Vides
Et hanc fenestram? *Ludim.* Quæ nova insolentia?
Tres video rotulas, improbè fractas, furor
Mentem occupat. Jam dicite P eri citò.
Quis fregit? *Gorul* Ego non. *Gisp.* Nec ego. *Glaph.* Multò minùs ego.
Pigr. Ego omnium minimè; scholas namque ultimus
Ingressus. *Ludim.* Ergo quis fuit primus, scholam
Qui subiit hodie? *Strob.* Nemo vel primus fuit
Vel solus hodie; sed scholam plures simul
Intravimus.

Scena Quarta.

Reliquis accedit Tardellus.

Ludim. - - Sed ùnde Tardelle ad scholam
Serus adeò? *Tard.* Quia nemo me maturiùs

Ho-

* Fenestras fractas ostendit.

Hodie excitavit. *Ludim.* Nemo? *Vulp.* Nunquam ergo ſoles
Niſi excitatus ſurgere? *Tard.* Quid ad te hoc puer?
Ludim. Puerum cave vocare. Quem coram vides,
Eſt Viſitator, ſummus Inſpector ſcholæ
Authoritate par mihi. *Vulp.* Dic aptius,
Te Major. *Ludim. ad Tardell.* Ergo ſupplice inflexus genu
Precare veniam, & oſculare dexteram
Novi hujus Inſpectoris. Et vos ſimiliter
Rite Venerari diſcite hoc veſtrum caput.
Giſp. An tu ergo non es amplius noſtrum caput?
Ludim. Sum, ſum utique? ſed ſicut aquilæ eſt duplex caput;
Sic & duplex eſt nobile huic ſcholæ Caput.
Sed jam ſcholis præmiſimus longum nimis
Præludium. Ne tempus, atque hora effluat,
Sedete pueri. Dominus Inſpector quoque
Velit ſedere. Daſtile huc ſellas citò
Pro utroque noſtrûm. *Vulp.* Dexterum occupo latus. *
Ludim. Ubi ſcheda garrientium? *Daſt.* coram Vides.
Ludim. Et ſcheda neſcientium? *Gorul.* coram Vides.
Ludim. Tamen notatum video neminem. *Daſt.* Quia
Nemo hac die garrivit. *Gorul.* Et Nemo fuit

Nos

* Sedet.

Nos inter hodie neſciens. *Ludim.* Nemo? hoc placet.

Vulp. Quæſo, experire. Fac recitet aliquis palam.

Ludim. Pigrelle recita. *Pigrell.* * *Nemo-Nemo* *Ludim.* Pergito.

Pigrell. ** *Nemo* *Ludim.* Quid ultra? *Pigr.* *Nemo* - *Vulp* Quid nemo? nihil

Nonne didiciſti? *Pigr.* *Nemo* - *Ruff* ** *Furatur.* *Pigr.* ſcio

Furatur *Ruf.* *** *Alteri.* *Pigr.* *Alteri.* totum ſcio,

Nemo furatur alteri.

Vulp. Sed quis tibi ſuggeſſit hæc? *Pigr.* Nemo mihi

Suggeſſit aliquid. *Vulp.* Nemo? tamen ipſe audii.

Scena Quinta.

Perſonis prioribus accedunt Tityrus, & Melibæus.

Tityr. Salvete Pueri! Quis, rogo, quis dicite, Vos inter eſt Ludimagiſter? *Giſp.* Maximus.

Ludim. Quid vultis? an fors eſſe Diſcipuli mei?

Melib. Cuſtodiat nos Dominus à tanto malo.

Vulp. Scholas adire dicitis magnum malum?

Tityr.

* incipit recitare.
** ſuggerit.
*** iterum ſuggerit.

Tityr. Sub hoc Magiſtro. Sæpius dixit Parens:
Inter ſues malim educari Filios,
Quàm cum oppidi ſcholaribus ſub hoc novo
Ludi magiſtro; namque Porci neminem
Seducere ſolent; at ſcholares hi nihil
Diſcunt, niſi garrire in ædibus ſacris,
Parentibus mentiri, agricolis clepere.

Ludim. Nimiùm maledica fœmina eſt Mater tua.

Melib. Dicit tamen veriſſima. Experti ſumus,
Et primum heri ſub veſperam duo ex tuis
Scholaribus clepſere noſtro in prædio
Pendentia ex arboribus, & nondum ſatis
Matura poma. *Tityr.* Hinc adſumus, & à te modò
Jubente Matre petimus, ut pueri tui
Ablata reddant poma, nî tu cum tuis
Scholaribus damnandus æternùm velis
Perire. *Ludim.* Ego damnandus? *Mel.* alieni reus
Peccati es, atque particeps furti, niſi
Punire furta facta per tuos ſtudes.

Ludim. Quinam ergo, qui clepſêre poma? Edicite
Mox ſingulorum nomina. *Tit.* Equidem nomina
Neſcimus. *Mel.* Hoc Ludimagiſtri eſt. Omnia
Hic ſcire debet. *Ludim.* At ego plane neſcio.

Tit. Interroga ergo. *Lud.* Poma quis veſtrûm abſtulit?

Bart

Bart. Ego non. *Dast.* minus ego. *Glaph.* Ego omnium minimè. Sacra
Juro per omnia - *Lud.* sistito. Credo nihil
Jurantibus. Jurare qui audet, nec timet
Mentiri. Ain, sed absque iurando, nihil
Heri abstulisti è prædio? *Glaph.* Omnino nihil.

Ludim. Quis ergo? *Gorul.* Mentiuntur hi pueri. Nihil
Quisquam abstulit. *Tit.* si mentior, lepores statim
Devorent, & pedibus anates proterant.

Melib. Me Grando, nix, & fulmem hoc sternant loco.

Glaph. En! Domine Pædagoge dixisti prius,
Jurantibus nihil credo, nam qui non timet
Jurare, nec mentirier timet. *Ludim.* Bene
Ratiocinaris. Igitur è vobis heri
Nemo ulla clepsit poma? *Pueri omnes.* Nemo, nemo. *Glaph.* sic
Testantur iterum singuli. Nemo abstulit
Poma ulla. *Pueri omnes.* Nemo, nemo. *Ludim.* * Discedite igitur,
Matrique vestræ nuntiate, Neminem
Poma abstulisse. Repetat ergo à Nemine.

Vulp. ad Tityr. Venite mecum. Judicem vobis dabo
Multò æquiorem hoc homine. **

Scena

---

* ad Tityr. & Melib.

** Egredientem Vulpulum sequitur Ludimagister. Clauditur schola.

Scena Sexta.

Vulpulus, Ludimagiſter, Tityrus, Melibæus.

Ludim. - - - Quid agis Vulpule?
Abibis ante tempus? aut num iam mea
Perſpecta ſatis induſtria eſt? *Vulp.* Plus, quam ſatis.
Jam Parvuli venite ad Illuſtriſſimum
Dominum Toporcham. Exponite huic inſtiſſimas
Matris querelas. *Tit.* Domine, neſcimus loqui
Magnatibus nos ſimplices. *Mel.* Nec munera
Habemus ulla, ut Judicem - *Vulp.* Verbîs nihil,
Credite, opus, aut muneribus. Illuſtriſſimus
Noſter Toparcha Divites non reſpicit,
Tenaxque juſti pauperum cauſis favet.
Venite. *Lud.* Quin ſubſiſtito, obſecro, parùm.

Scena Septima.

Perſonis prioribus accedit Menalcas.

Menal. Parùm erudite Domine, num fures tui
Jam deprehenſi, de quibus ego heri tibi?
Anatésne reſtituêre? *Vulp* Quid de furibus?
Menal. Gemini ſcholares oppidi heſterna die
Anates mihi abſtulêre geminas. *Vulp.* ſiccine
Non

Non poma tantùm, ſed anates etiam tui
Didicere pueri clepere? *Ludim.* Quomodo potes
Probare, quòd ſint ex meis ſcholaribus
Furunculi iſti? *Menal.* heri probavi jam ſatis,
Uterque nempe pallio indutus fuit.
In oppido hoc portare pallium ſolent
Soli ſcholares. *Ludim.* pande, quæ illis nomina.

Menal. Ignoro furum nomina. Hinc munus tuum
Inquirere, atque examinare, quis reus
Sit ex tuis ſcholaribus. *Ludim.* Nemo reum
Semet fatetur. Nemo furatus anates.
A Nemine illas repete. *Vulp. ad Menal.* Me velis ſequi,
Amice, vosque parvuli. Illuſtriſſimo
Noſtro Topachæ refero cauſam omnium.

Ludim. Ad quid Toparcha Judice eſt vobis opus?

Tityr. Quia tu negas, quod exigit munus tuum,
Implere. *Melib.* Quin furunculos tuos foves.

Vulp. Ero Advocatus veſter. *Ludim.* Ergo Vulpulus
Me forſan accuſabit, & pueros meos?

Vulp. Pro veritate, & innocentia integer
Stat Advocatus, qualis in paucis ego.

Menal. Eamus igitur. *Ludim.* Obſecro ſimus boni,
Examinabo denuo pueros meos,

Fa-

Faciamque certò, ut omnibus fiat satis.
Hoc interim Cubiculum ad brevem moram
Subite. *Menalc.* Non, non perfero moras.
Tit. Domi
Et nos Parens exspectat. *Ludim.* Audite: est mihi
Est vini adusti vasculum. Totum hoc lubens
Exhauriendum ad ultimam guttam dabo.

Menalc. Dicis aliquid. *Melib.* Sed poma num nobis dehinc
Reddentur? *Ludim.* Omnia, omnia, omnibus omnia
Reddentur. Agedum Vulpule, & mecum veni.
Juro, tibi certè sapiet hic liquor meus.

Vulp. Ego vino adusto neutiquam assuevi: tamen
In parvulorum gratiam tandem sequor.

Ludim. Praeat Dominus Inspector, & vos hospites
Praeite. * Jam silentium! silentium
Servate Pueri. Nemo vel moveat pedem,
Manumve. Nemo mutiat, donec redux
Ego fuero. Tu Rufule fidelis nota,
Si garrientem quempiam, aut extra locum
Suum vagantem videris. Secus, cave!

---

* aperit non nihil scholae januam.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Ludimagister. Vulpulus.

Ludim. Hoc vinum adustum spiritus in me novos
Accendit. An non pariter in te Vulpule?
Vulp. Plenus ego sum spiritibus absque spiritu
Hoc vini adusti. *Ludim.* Jam bene. Rigidissimum
Examen instituamus. Assessor mihi,
Vel, si placet, Director examinis eris.
Vulp. Committo totum industriæ tuæ hac vice.
Ludim. Eris ergo saltem auditor, & testis mihi.
Sed quid Menalcas dixit? haud memini satis,
Cujus coloris pallio indutus fuit,
Qui clepsit anates? *Vulp.* Dixit hic, Furunculos
Fuisse geminos. Candidum uni pallium,
Fuscum alteri fuisse. *Ludim.* Memoria est tibi
Sat fausta. Sed qui poma clepserunt, quibus
Hi palliis fuêre contecti? *Vulp.* Nihil
Scis amplius? num vinum adustum memoriam
Exhausit omnem? *Ludim.* Vinum adustum, puto, nihil
Exhausit ex me; sed ego vobiscum omnium
In sanitatem vasculum exhausi integrum;
Et hinc parumper sentio ambustum Caput.
Vulp.

Vulp. Credo, quotidie ſpiritum ambuſtum bibis.

Ludim. Mittamus iſta. Dic modò, quibus palliis
Tectos fuiſſe Tityrus dixit, qui herì
Poma abſtulerunt? *Vulp.* Candidum uni pallium,
Fuſcum alteri, ſicut prioribus anatum
Furunculis. *Ludim.* ſat eſt. Patebunt omnia.
Mecum ſcholas ſubito. Vel quod aptius,
In atrio hoc tribunal erigimus novum. *

Scena Secunda.

Ludim. Vulpulus. Pueri ſcholares omnes.

Ludim. Abſente me ſilentium an rite pueri
Tenuiſtis? *Daſt.* Utique. Nemo ſe movit loco.

Barth. Nemo vagatus per ſcholam eſt. *Giſp.* Nemo omnium
Garrivit, aut rixatus eſt. *Ruf.* Hinc neminem
Potui notare. *Ludim.* Modeſtia hæc nobis placet.
Jam qui coloris candidi pallia gerunt,
Huc prodeant. Huc pariter adſint, pallia
Qui fuſca geſtant. ponite hic geminas quoque

* aperit ſcholam.

Sellas utroque ex latere. Claudatur schola.

Scena Tertia.

Ludim. Vulpulus. Sex Pueri Gastrimargulus. Rufulus. Gorigellus. Glaphyrus, Gispulus. Edmundulus.

Ludim. Hic state pueri utrinque. Se nemo moveat,
Nisi vocatus. Nemo responsum, nisi
Interrogatus, reddat. Auribus quoque
Apponite manus *. nemo verbulum audiat,
Nisi ille, cui dignabor ego soli loqui.
Placeat sedere ** *Vulp.* Examen hoc cernam lubens.

Ludim. Adesto Gastrimargule! edic candidè,
Quid abstulisti rustico hesterna die?
Quid hæsitas? responsa da. *Gastr.* Non audio,
Quod dicis, aures manibus occlusæ nihil
Percipere possunt. *Ludim.* Ergo removeto manum.
Quid abstulisti Rustico hesterna die?
Jam devorâsti anatem? *Gastr.* Quid anatem? conterant
Me pedibus anates, si - - *Ludim.* Loquere pressâ magis,
Nec tam sonorâ voce. Dic - - *Gastr.* anates ego
Non abstuli. *Ludim.* sum lapsus in verbulo anatis.

Dice-

---

* Pueri aures manibus occludere iubentur.
** ad Vulpulum.

Dicere volebam Poma. Poma Rustico
Heri abstulisti. *Gastr.* Quisquis hoc de me asserit,
Mentitur, & si tu ipsus hoc de me asseris,
Mentiris, & mentiris in collum tuum.

Ludim. Ne, rogo, ita clames. *Gastr.* Clamo pro fama mea,
Et altius clamabo: non sum Fur ego.
Non patior hæc opprobria. Non sum Fur ego.

Ludim. Discede Gastrimargule, ad scholam redi.

Gastr. Non redeo. Dicta repeto: non sum Fur ego.

Ludim. Jam credo, credo, quòd innocens sias, modo
Discede. *Gastr.* Cedo; at repeto: non sum fur ego. *

Ludim. Edmundule huc. Fateare. Quis, ut anates heri
Subduceres, te induxit? *Edm.* Ego subducere?
Primùm priore hebdomade Mater anserem
Pinguissimum submisit in domum tibi,
Matris tam honestæ filium furti arguis?
Referam Parenti hæc. Anserem nullum amplius
Videbis. *Ludim.* Esto Edmundule quietus, Scio,
Esse innocentem; debui tamen modò
Simulare propter cæteros, teque pariter

* abit Gastr.

Examinare, pallium dum album geris.
Redi modò, ſecurus ad ſcholam redi.

Edm. Redibo. Sed contenta vix erit Parens,
Si reſciat - - *Ludim.* Nil dicere Parenti hæc opus.
Alio modo pro injuria faciam ſatis. *

Ludim. Nihilne pueri audiiſtis ex dictis modò
Edmundulum inter, atque me? loquamini.

Gorig. Quid audiamus auribus clauſis? *Ludim.* Nihil
Omnino percepiſtis? *Giſp.* obſcure audii
Aliquid de anate. *Ruf.* Ego de anſere. *Ludim.* Et quid de anſere?

Ruf. Qualem Parens Edmunduli, cui neſcio,
Pinguiſſimum ſubmiſit, & dono dedit.

Ludim. Jam nimia pueri audiiſtis. Aures claudere
Vobis oportet melius. En ſic. Auribus
Circumligate veſtra Collaria. Cito
Cito. ** An modò auditis nihil? *Pueri.* Nihil, nihil.

Ludim. Jam Giſpile huc. Cur poma, vel anates herì
Subducere auſus Ruſtico es? quis tibi comes?
Furtique facti particeps? dic candidè.
Noli negare quidpiam. Scio omnia.

Giſp. Quid ergo quæris, ſi omnia prius iam ſcias?

Ludim. Quoniam fatentes cupio me coram reos.

Giſp. An ergo cupis, ut mentiar, ſi me reum
Fate-

---

* redit in ſcholam Edmundulus.
** Pueri collaria auribus circumligant.

Fatebor? *Ludim.* Istud neutiquam. Hoc tantùm volo,
Ut omnia fatearis, & neges nihil.
Gisp. Sit ergo. Nil negabo. *Ludim.* Dic ergo mihi:
Quis particeps, & socius in furto fuit?
Anne Gorigellus, anne Glaphyrus? *Gisp.* Nihil
Negabo. *Ludim.* Sed quis ex duobus? Glaphyrus?
Gisp. Nihil negabo. *Glaph.* me argues furti? *Ludim.* Puer!
Sicne audiisti dicta clausis auribus?
Glaph. Quia longiores cæteris aures mihi;
Nam sum tuus Cognatus. *Ludim.* Hodie nil valet
Cognatio. Haud respicio carnem, & sanguinem.
Veni. Arctius constringo vel proprio meo
Strophiolo. - - At ubi - - nil reperio. Parum interest.
Sic pileo aures obtege, & sta longiùs
Remotus à me. Pergimus modò, Gispile,
Ut cæpimus. Num Glaphyrus furti tui
Est particeps? *Gisp.* Nihil negabo. *Ludim.* sed anates,
An Poma subduxistis? Edissere. *Gisp.* Nihil
Negabo. *Ludim.* Num jam devorâstis omnia?
Gisp. Nihil negabo. *Ludim.* Poma, vel anates? *Gisp.* Nihil

Negabo. *Vulp.* Gispile. Unicam breviter tibi
Propono quæstiunculam. Dic, quid tibi
Videtur, an non stultus hodierna die
Ludimagister veiter est? dic candidè.
Gisp. Nihil negabo. *Ludim.* Quid puer? sic de tuo
Ludimagistro loqueris? *Gisp.* Ipsus hoc prius,
Ut nil negarem, jusseras. *Ludim.* Es Gispilus
Et nomine, & re. Cede. Me quoque Gispilum
Efficere posses, si diutius tua
Audire vellem ludicra. *Gisp.* Negabo nihil.
Ludim. Sed advenit jam, Vulpule, Dominus Baro.
Vos * ad scholam redite, donec denuo
Vocabo vos. Examini necdum ultima
Imposita manus est. Judicis sententia
Fluctuat adhuc, & pectoris in imo latet.

Scena Quarta.

Beryllus. Ludimagister. Vulpulus. Scribacius. Dorylas.

Beryll. An munere tuo, Vulpule, es functus bene?
Et quæ notasti? *Vulp.* Quæ, nisi his oculis meis
Vidissem, & hisce pariter auribus meis

Clare

* pueros remittit ad scholam.

Clare audiissem, facta nunquam crederem.
Ludim. Tantam mihi esse industriam? *Vulp.* Tantam tuam
Socordiam, atque ineptiam. Pueri tui
Rixantur, & furantur - - *Beryll.* Ecquid asseris?
Furantur etiam? *Ludim.* Poma tantùm, & anseres,
Anatesve. *Beryll.* Tantùm!

Scena Quinta.

Personis prioribus accedunt Menalcas, Tityrus, Melibæus.

Menalc. - - - Quamdiu nos denique
Suspendis? *Ludim.* Ego suspendere soleo neminem.
Sum publicus Didascalus, non carnifex.
Tityr. Sed tamdiu cur trahere nos cogis moras?
Melib. Nondúmne, qui furunculi sint ex tuis,
Examinâsti? *Ludim.* Examinavi strenuè.
Examen interrupit adventus tuus
Generose Baro. *Beryll.* Vobisne furati aliqua sunt
Hujus scholares? & quid? *Menalc.* Anates mihi duas.
Tityr. Et poma nobis plurima, & pulcherrima.
Scrib. An quis reum se fassus est? *Ludim.* Nemo hactenus
Est fassus; at resumo jam cœptum bene

Examen. An ſpectare tantiſper iuvat?
Vulp. Spectate. Mirum, credite, hîc ſpectaculum
Videbitis.

Scena Sexta

Perſonis prioribus aperta ſchola accedunt pueri ſcholares omnes.

Ludim. - - - Silentium! ſilentium!
Audite pueri. Nolo vobiscum diu
Certare. Mox effamini, quis eſt reus
Vos inter, & quis poma, quis anates heri
Eſt auſus abſtuliſſe? Nemo ſe movet?
Nemo fatetur quidpiam? moneo ultimùm,
Fateamini. Quis abſtulit anates? - ſemel,
Bis - - Ter. Renuitis eloqui? omnes flectite,
Omnes ad unum, & tamdiu, donec rei
Prodantur, & ſi clepſydra hæc effluxerit,
Nec proditi Furunculi ſint denique,
Cædentur omnes, & cædentur ad necem.
Non flectitis? *Daſt.* Ego ſum innocens. *Ruf.* Ego ad altius
Tribunal Inſpectoris appelló. *Glaph.* Aſt ego
Domini Baronis. *Gaſtr.* Bene. Tribunal altius
Baronis appellamus. Hic Judex erit.
Gorig. Ita eſt. Ita appellamus. *Pueri omnes.* Appellamus. *Scrib.* Eſt
Æquiſſima appellatio, ut Jura approbant.
Eſt tale tali competens cauſæ forum.

Beryll.

Berill. Esto igitur. Æquus omnibus Iudex ero.
Ludim. Authoritas patitur meä; tamen debeo
Domino Baroni cedere, & fasces scholæ
Submittere altioribus ad horam brevem.
Beryll. Claudite scholas tantisper. Huc ad nos foras
Ludimagister.

Scena Septima.

Personæ, quæ prius, exceptis Scholaribus.

Beryll. ad Ludim. - - Dicito. E pueris tuis
Omnésne fures credis, & culpæ reos?
Ludim. Absit nefas hoc. Plurimi sunt ex meis
Boni, piique Parvuli, atque innocui,
Quin nec capaces fraudis ullius. *Beryll.* Igitur
Cur plectis omnes, & quidem pœna pari?
Innoxios cum noxiis? *Scrib.* Regula sacri,
Quin & profani Juris *in sexto* vetat
Procedere hoc. *Beryll.* Ineptus es, video satìs,
Ad Pædagogi publici munus. Parens
Alium tibi substituet hac adhuc die
Doryl. Sed ne amovendus absque honore sit, simul
Est promovendus. Nempe ab asinorum Schola
Ad stabulum equorum. *Menalc.* Sed ubi tunc anates meæ?

Tityr.

Tityr. Et poma noſtra? *Beryll.* Cuncta ſucceſſor novus
Examinabit melius, & furti reos.
Ut cuncta reddant, coget. Ad Patrem interim
Venite mecum. *Menalc.* Exponere querelas tuo
Domino Patri licebit? *Beryll* Ita. Liberrimè
Exponite. *Scrib.* Advocatus ego vobis ero,
Satis levi pro pretio. *Vulp.* Ego dudum prior
In advocatum me obtuli, & gratis quidem.
Scrib. Gratis? adhuc indoctus es. Gratis nihil
Verus facit Cauſidicus. *Menalc.* Ita quidem hactenus
Nos docuit experientia. *Melib.* Abeamus cito hinc,
Ut cauſa finiatur. *Ludim.* O Illuſtris Baro!
Et vos amici! ah obſecro! miſeremini:
Miſeremini, ſi non mei, at ſaltem meæ
Uxoris, atque Infantium in cunis adhuc
Lallantium. Nam munere amotus Pater
Non poterit hos nutrire. Morientur fame
Tot innocentes animulæ. *Doryll.* Panem tibi
Per raſtra quæras. *Ludim.* Fodere non valeo, nimis
Tenella manus eſt. *Menalc.* Ergo mendica ſtipem.
Ludim. Hoc erubeſco. Vulpule! ô mi

Et

Et auree etiam Vulpule! ah! pande, obſecro,
Arcana, quæ te nôſſe dicebas prius.

Vulp. Et qualia hæc arcana? *Ludim.* Dixiſti prius,
Si Pædagogus ad horulam eſſes unicam,
Facilè adigendos parvulos, ut omnia
Fateantur, & non dicere amplius audeant:
Hæc nemo fecit. Nemo furatus anates,
Et poma nemo clepſit. *Vulp.* Hæc dixi prius,
Quid inde? *Ludim.* Doceas, obſecro, hunc & me modum.
En quindecim tibi crucigeros offero,
Plures enim non continent loculi mei.

Vulp. Ars tanta, credis, quindecim tantùm valet
Viles crucigeros? *Ludim.* Quindecim; credo, aureos
Valet, ſed ego non habeo. Cum tempore tamen,
Si ditior ero, quindecim aureos dabo.

Vulp. Dominus Baro ſi iubeat, aperiam modum,
Artemque, qua deterriti pueri ſuas
Culpas rejicere in neminem nunquam audeant.

Ludim. Ergo Domine Baro, Vulpulus pandat, jube,
Et doceat artem hanc unicè optandam mihi,
Ne Pædagogi munere amotus hodie
Cum Conjuge, & cum prolibus trinis ſtipem

Co-

Cogar rogare publicè per oppidum.

Beryll. An ergo verum, Vulpule, an nosti modum,
Artemque talem? *Vulp.* Domine scribaci, anne adhuc
Illam tenes Comœdiam, nuper tibi
A Patriota quopiam missam, & mihi
Avidè audienti nocte prælectam? *Scrib.* Putas
Comœdiam illam, quæ data est de Nemine?

Beryll. Qualis Comœdia hæc, quæ agit de Nemine?

Scrib. Est illa partus Ingenii acutissimi,
Authore quodam Nemini notissimo.

Vulp. ad Ludim. Votis tuis aptissima est, cujus scopus
Terrere pueros simplices, ne in neminem
Culpas suas rejicere posthæc audeant.

L*udim.* Hac utar, & sic munus implebo meum,
Ut nemo de me conqueri posthac queat.
Hanc ergo Domine scriba concedas mihi.

Scrib. Hoc comicæ artis obstupescendum omnibus
Musis opus non facilis, aut gratis dabo.
Tres aureos deposco. L*udim.* Quattuor dabo.

Doryl. Nec quindecim superesse crucigeros tibi
Paulo antea dixisti, & aureos modò
Promittere audes quatuor? L*udim.* Equidem modò
Non est, fatebor, aureus mihi unicus;

Sed

Sed proximis angariis, quando pueri
Tributa ſolvent, debitum hoc ſolvam tibi.

Scrib. Sed interim quod pignus, aut qualem vadem
Solutionis? *Ludim.* Quotquot in ſchola mea
Sunt parvuli, hos oppignoro cunctos tibi.
Et ſi hoc ſatis non fuerit, & trinos meos
His addo filiolos, licet chariſſimos.

Scrib. Iſta tibi ſerva pignora, ego meam mihi
Comœdiam. *Ludim.* Quin obſecro. *Vulp.* haud tandem hac opus.
Comœdiæ ſubſtantiam ſatis ſcio.
Modò velitis agere Perſonas, ſtatim
Docebo paucis omnia, & - - *Ludim.* Perſonam ego
Quamcunque ſuſtinebo, Lictoris quoque,
Aut publici Carnificis. *Beryll.* An & à me petis,
Ut ſim Actor hac in ſcena? *Vulp.* Utique Primaria
Perſona tibi ſervatur. Aſt opus nihil
Mutare veſtes. Eritis & tu, & Dorylas
Et ſcriba, quales eſtis. Et vos parvulos
Adſtare ſatis eſt. Solus alienum induet
Habitum Menalcas. *Menalc.* An etiam multùm loqui
Debebo? *Vulp.* Bina verbula. *Menalc.* Et poſtea anates
Habebo? *Tityr.* Nos quoque poma hoſtra? *Ludim.* Habebitis,
Quæ vultis omnes omnia. Ergo ad rem citò.
Hîc intus in cubiculo ſcenæ omnia

Apta-

Aptamus.. *Scrib.* Ego non ſoleo Perſonam ſine
Stipendio agere. *Ludim.* Spondeo Cereviſiæ,
Vel vini aduſti liberalem hauſtum tibi.

Doryl. Et Dorylæ quid? pariter ego gratis nego
Servire ſcenæ. *Ludim.* Pariter, & cum Muſicis
Potabis. *Doryl.* ô cum Muſicis? ſic ſobrius
Vixdum domum redibo. *Beryll.* Sed de Nemine
Quoniam hæc agit Comœdia: Ecquis Neminis
Perſonam aget? *Vulp.* Nemo. Sed ad opus jam citò.
Quid cuique agendum, breviter exponam. *Ludim.* Patet
Cubiculum hoc. Hîc melius, & ſine arbitris
Sunt tranſigenda cuncta. *Vulp.* Niſi Dominus Baro
Subire dedignetur. *Beryll.* Hoc tandem tuis
Didaſcale dabo precibus. Ipſus ſerviam,
Quantum patitur Authoritas, ſcenæ, ut tibi
Ludimagiſtri munus hac ſervem die.

Ludim. Exoſculor tam Benevolam, & piam manum.
Præite cuncti. Tum ultimus ego vos ſequor;
Omnes enim tanquam hoſpites hodie colo.

Pars

Pars Tertia.

Scena Prima.

Ludimagister. Vulpulus.

Vulp. Attende, moneo: nam interest tantùm tuâ,
Comœdia ut procedat ad votum. *Ludim.* Nihil
Quod est mearum partium omittam. Interim
Quid debeo tibi Vulpule! hac in ultima
Necessitate es Angelus Custos mihi.
Sine te fuisset, alius in Cathedra mea
Sederet, & pauper ego mendicabulum
Stipem rogare cogerer cum prolibus,
Lectissimaque Conjuge. *Vulp.* Hæc mittas modò,
Dum res peracta tota. Discedo interim
Tantisper, atque ex arce servos colligo,
Quos pariter in scena agere Personas volo.
Ludim. Agentne gratis? *Vulp.* Haustus his dandus utique.
Ludim. Sit. Dummodo Didascali munus mihi
Non auferatur, omnia expendam lubens,
Et si necesse fuerit, uxorem quoque
Cum Prolibus divendo.

Scena Secunda.

Ludimagister. Pueri scholares omnes aperta schola.

Ludim. - - - Quid pueri interim?

Silentium servâstis? *Gisp.* Appellavimus
Ad altius tribunal, haud tua amplius
Jussa reveremur. *Ludim.* Insolens! Jam munere
Didascali me credis amotum? brevì
Sese alia scena pandet, appellatio
Injuriosa proderit vobis parùm.
Sedete nunc, & scribite. Cito scribite:
Incipit dictare. Der Niemand, der Niemand. *
Quid audio? num cuculus in nostra schola?
Dast. Rupta est fenestræ rotula, facilè potuit hac
Intrare cuculus. *Ludim.* Capite. *Pueri.* Cernimus nihil.
Barth. Credo, avolavit rursus. *Ludim.* Ergo scribite.
Der Niemand, der Niemand.
Ruf. En! clamat iterum cuculus. *Glaph.* E Scamno ultimo
Allapsa vox est. *Ludim.* Quærite in scamno ultimo,
Et capite. *Pueri.* Nil videmus. *Ludim.* Ergo scribite.
Der Niemand, Der Niemand.
Gastr. Clamat iterum. *Ludim.* Ex qua parte? *Gastr.* dextra. *Ludim.* Quærite.
Tard. Nunc ex sinistra. *Ludim.* Cuculus hic mali ominis
Ne sit, timete. Scribite tamen, scribite.
Der Niemand, der Niemand.

Scena

* Puerorum aliquis cuculum imitatur.

Scena Tertia.

Accedit prioribus Menalcas personatus, ut nuntius.

Ludim. Quid tu hìc amice? litteras forsan mihi
Affers, & à quo denique? *Menalc.* Hic leges. *Ludim.* Mihi
Epiſtola eſt inſcripta; ſed manus tamen
Ignota. Dic, quis ſcripſit? *Menalc.* Hic lege.
Ludimagiſter apertæ Epiſtolæ ſubſcriptionem legit. *Tuus ſervus fidelis Nemo.* Jam novi Virum.
Videte pueri, quanta doctrinæ meæ
Sit fama! Quanta Authoritas! Servum meum
Se profitetur nemo. Sed dic, qui valet
Hic Nemo? quid nunc agitat? *Menalc.* Hìc leges. *Lud.* Nimis
Minutus eſt Caracter. Huc Rufule mihi
Mea perſpicilia. At Glaphyrus quid muſtitat?
Glaph. Quæſivit ex me Bartholus - - *Ludim.* Quid quæſiit?
Glaph. An ergo Nemo ſit aliquis? *Ludim.* Quid ambigis?
An Nemo poſſet ſcribere, niſi eſſet aliquis?
Sed porro, Conjux Neminis lectiſſima,
Et Filius qui vivit? *Menalc.* Hic leges. *Ludim.* Puer
Quid loqueris iterum? *Barth.* Habetne *Nemo Filium?*

Ludim. Patri ſimillimum. Stupetis? forſitan
Nunquam Virum hunc vidiſtis. *Giſp.* Ego nec Neminem,
Nec Filium hujus Neminis vidi. *Daſt.* Nihil
Ego audii de utroque. *Gaſtr.* ſemper credidi,
Quod nemo tantùm nemo ſit. *Gorul.* Ego non queo
Percipere, quod aliquis ſit hic Nemo. *Lud.* Brevi
Forſan videbis ipſemet. * Sed quid puer
Inepte! perſpicilia fregiſti mea?
O ut ego te - - *Ruf.* Noli, obſecro, iraſci;
Pater
Namqne mihi Vitriarius. Huic clanculum
Subducta perſpicilia tibi poſt prandium
Certò afferam. *Ludim.* ſed interim quomodo legam,
Quod Nemo ſcripſit? *Ruf.* litteras cedas mihi,
Libero oculo ſat legere ſcripturam ſcio.
Ludim. Arcana forſan continent hæ litteræ
Communicanda Nemini, minus tibi.
Nunquid ita Bajule? *Menalc.* Hic leges.
Ludim. Sed Vulpulus.

Scena Quarta.

Perſonis prioribus accedit Vulpulus.

Vulp. Quid claudus hic Mercurius? aut quænam nova
Mendacia affert? *Menalc.* Hic leges. *Vulp.* Mendacia?

Ludim. Amice, plures utique tibi erunt litteræ
Aliis ferendæ. Te morari non velim.
Si crastina redieris, ut decet, dabo
Ad Neminem responsa. * *Vulp.* Num nemo dedit
Epistolam ad te? *Ludim.* Nemo, qui servum meum
Sese fatetur. *Vulp.* Talem amicum gratulor.
Ludim. Nostine, fors ipse vidisti hunc Virum?
Vulp. Jam sæpe vidi Neminem. Quin primum heri
De nocte mecum nemo sat diu fuit.
Ludim. Tecum fuit? ubi? *Vulp.* In arce nostra. *Ludim.* Ergo solet
Etiam videri in arcibus Nemo? *Vulp.* solet,
Sed rarius; nam potius in solitudine
Suevit habitare nemo. Sed, quod dixi, heri
Mecum fuit. *Ludim.* Quid verò in arce negotii
Nemo habuit? *Vulp.* Accusavit, & gravissimè
Pueros tuos, & petiit, ut pro injuriis
Quas passus est graves, satisfieret sibi.
Ludim. Injurias est passus à pueris meis
Nemo? *Barth.* Tamen non noscimus nos Neminem.
Dast. Quem nemo nostrûm vidit unquam. *Vulp.* Litteras
A Nemine datas perlege. Hic fors audies,
Quæ sint querelæ Neminis contra tuos.

* abit Menalcas.

Ludim. Puer iſte perſpicilia confregit mea,
His absque legere neſcio minutam nimis
Hanc Scriptionem. *Vulp.* Cedito chartam mihi,
Tentabo, num libero oculo legere queam,
Quod nemo ſcripſit. *Ludim.* Accipe.

Scena Quinta.

Perſonis prioribus accedit Dorylas, cum duobus ſervis ex arce perſonatis, ut Faunis.

Ludim. - - - At quid Dorylas?
Quæ monſtra tecum adducis? *Doryl.* Illuſtriſſimo
Noſtro annuente venio. Tradas illico
Duobus hiſce, * quotquot è pueris tuis
Furti reos deprênderis, vel qui mala
Fraude, ut negarent propria delicta, omnia
In Neminem rejicere ſunt auſi, improbe
Dixiſſe ſoliti: *Nemo fecit. Ludim.* Et duo
Hæc monſtra quænam? & unde? *Faun. primus.* Nemo nos jubet
Ad vindicandas denique illatas ſibi
Injurias includere his ſaccis reos,
Sibique ſiſtere pueros adeo improbos.
Vulp. Ubi ergo nunc eſt Nemo? in arce forſitan
Apud Toparcham? *Faun. 2.* Nemo non eſt amplius
In arce, ſolitus horridam & nigram ſpecum
Inco-

* Faunos deſignat.

Incolere. Et hinc nos misit, ut pueros reos
Eo abstrahamus. *Doryl.* Annuit votis quo-
que
Dominus Toparcha. *Ludim.* Ast horrida in
cæca specu
Quid traditis hisce pueris fiet? *Faun. 1mus.*
suo
Tractabit ex officio Nemo, ut solet.
Ludim. Et quomodo tractare captivos solet?
Faun. 2. Suspendit ex arboribus, aut puteo
cavo
Demergit. *Vulp.* O miserrimos vos par-
vulos,
Quicunque læsi Neminis adestis rei.
Doryl. Hos ergo trade, & ocyus: nam sic
jubet
Dominus Toparcha. *Faun. 1mus.* Et Ne-
mo tales Victimas
Sui furoris avidus exspectat. *Ludim.* Reum
Ego scio neminem ex meis. Hinc neminem
Extradere queo. *Doryl.* Litteras à Nemine
Ad te datas si perlegis, in his omnia
Leges reorum nomina expressa. *Vulp.* Mi-
seri!
Miserrimi! Nemo utique sat clarè omnia
Nomina reorum hîc exprimit. *Doryl.* Igi-
tur lege,
Et trade, quos hæc charta designat reos.
Ruf. Mentitur hodie Nemo, si me inter reos
Signavit. *Gastr.* Et me. *Glaph.* Nemini
credite nihil.
Pueri omnes. Mentitur hodie Nemo. *Doryl.*
Palpabile nimis

 Men-

Mendacium hoc est, siquis audet dicere:
Mentitur hodie Nemo. *Ludim.* Sed quomodo potest
Certò rescire Nemo, quis furti reus?
Quis Poma, vel quis clepserit anates heri?
Faun. 1mus. An non perennis docuit experientia,
Quòd nemo videat omnia, & sciat omnia?
Ludim. Fatebor, ipse haud unico legi in libro:
Nemo videt omnia. Nemo novit omnia.
Faun. 1mus. Propheta nempe est Nemo, quem nihil latet.
Doryl. Legas igitur. *Dast.* An Epistola etiam illos notat,
Qui scamna confregêre? *Pigr.* Vel rotulas? *Vulp.* Notat
Omnes reos omnino. *Ludim.* Sed cur vos duo
Hæc quæritis? vos nempe conscientia
Accusat ipsa. *Dast.* Conscientiam nihil
Mihi dicere audio. Timeo tamen, quia
Etiam innócens possem abripi. *Pigr.* Nuper & ego
A Pædagogo cæsus, etsi altissimè
Clamarim, & innocentem me esse dixerim.
Doryl. Nil innocens metuat sibi. Solos reos
Hic adnotavit Nemo. *Vulp.* Nec vos quidpiam
Audebitis negare: nam auribus meis
Hæc dicta percepi utique: *Nemo garriens*
Et nesciens, & Nemo rixatus, anates
Nemo abstulit. *Gisp.* sic diximus; sed diximus

De

De Nemine illo, quem putavimus hactenus
Quod non sit aliquis. *Vulp.* Nemo talis, dic, ubi est,
Qui non sit aliquis? *Gisp.* Credo, quòd sit nullibi.

Barth. Ego dicta revoco. Namque volui dicere,
Dum nemo dixi, nemo nostrûm vel anates
Vel poma clepsit. Doryl. Iste nemo vestrûm ubi est?
Ostende sis. *Bart.* Num ostendere queam Neminem?

Gisp. Non capio, quomodo Nemo queat esse alicubi.

Faun. imus Videbitis mox Neminem in tetra specu,
Quò vos trahemus. *Vulp.* O malefaustos nimis.

D*oryl.* Nunc ergo saccos pandite, atque includite
Mox nominandos, atque tradendos reos.

Edm. Ludi Magister adjuva! *Pueri omnes.* adjuva tuos.

Ludim. Ad altius tribunal à meo prius
Ipsimet appellastis, ibi jam quærite
Præsidia. Ego discedo. D*oryl.* Quin legas prius
Nomina reorum prodita his in litteris.

Dast. Ah Domine Visitator! *Pueri omnes.* ah miseros juva!

Vulp. Contra Toparchæ imperia nil possum. D*oryl.* Lege

Nomina reorum. *Ludim.* Nimius heu! dolor vetat.
Caligat oculus. Nil video de his omnibus,
Quæ Nemo scripsit. D*oryl.* Ergo Vulpulus legat.

Ludim. Valete jam, valete pupuli mei,
Fors ultimùm conspicio vestrum plurimos,
Et me ultimùm conspicitis omnes, qui rei
Trahentur ad supplicia, quæ Nemo inferet.

Pars Puerorum. ô iste Nemo! *pars altera.* O iste Nemo!

Scena Sexta.

Personis prioribus accedit Beryllus, Menalcas, Tityrus, Melibæus.

Beryll. ad Ludimagistrum. - - - - Quo hinc abis?
Subsiste! *Pueri omnes.* Domine Baro, Domine Baro adjuva.

Edm. En ista Monstra abripere nos omnes volunt.

Beryll. Silete! novi jam omnia, & sententiam
A Patre latam, Nemine urgente, in reos:
Sed dicite, an jam lecta sint palam omnium
Nomina reorum, quæ suis in litteris
Nemo notavit? D*oryll.* Vulpulus statim leget.

Beryll. Exspecta adhuc tantisper. En pueri! ultimam
Precibus meis placatus offert gratiam
Parens Toparcha, nemine invito licet.

Si nempe ſponte, & liberè, ſed antequam,
Quam Nemo ſcripſit, charta prælecta fuerit,
Fateamini omnes, quidquid à vobis mali
Hodie patratum eſt. Venia delicti omnibus
Plenaria eſt conceſſa: ſed tantùm hac vice.

Ludim. O quanta gratia iſta! quanta gratia!

Vulp. Utamini iſta parvuli, atque in tempore
Utamini, vel nomina reorum lego.

Pueri omnes. Fatebimur. Fatebimur. *Ruful.* an iis quoque
Hæc gratia eſt conceſſa, qui Poma, & anates
Clepſere? *Tityr.* Si reddatis ablata omnia.

Menalc. Aut ſaltem aliquid æquivalens, ſi non habent,
Quod abſtulerunt, amplius, & anates meas
Jam devorârunt. *Ruf.* Domine Didaſcale, peto
Veniam exeundi. *Gaſtr.* Hanc & ego. *Ludim.* Non tempus modò
Eſt exeundi, ſed fatendi. *Beryll.* Si tamen
Exire forſan cupitis, ut, quæ adhuc domi
Reſidua habetis furta, reddatis, dabo
Veniam exeundi: ſed redite huc ſine mora.

Menalc. Quid abſtuliſtis igitur? anne anates meas?

Tityr. An poma noſtra? *Gaſtr.* haud abſtulimus anates tuas,
Tantùm aliqua panis fruſtula obviantibus
Famelicisque objecimus, ſponte ocyus
Nos ſunt ſecutæ. *Glaph.* Poma non furum modo
Nos Clepſimus; ſed prædium plena die

Tityr. Et poma nostra? *Beryll.* Cuncta successor novus
Examinabit melius, & furti reos.
Ut cuncta reddant, coget. Ad Patrem interim
Venite mecum. *Menalc.* Exponere querelas tuo
Domino Patri licebit? *Beryll* Ita. Liberrimè
Exponite. *Scrib.* Advocatus ego vobis ero,
Satis levi pro pretio. *Vulp.* Ego dudum prior
In advocatum me obtuli, & gratis quidem.
Scrib. Gratis? adhuc indoctus es. Gratis nihil
Verus facit Causidicus. *Menalc.* Ita quidem hactenus
Nos docuit experientia. *Melib.* Abeamus cito hinc,
Ut causa finiatur. *Ludim.* O Illustris Baro!
Et vos amici! ah obsecro! misseremini:
Misseremini, si non mei, at saltem meæ
Uxoris, atque Infantium in cunis adhuc
Lallantium. Nam munere amotus Pater
Non poterit hos nutrire. Morientur fame
Tot innocentes animulæ. *Doryll.* Panem tibi
Per rastra quæras. *Ludim.* Fodere non valeo, nimis
Tenella manus est. *Menalc.* Ergo mendica stipem.
Ludim. Hoc erubesco. Vulpule! ô mi

Et

Et auree etiam Vulpule! ah! pande, obſecro,
Arcana, quæ te nôſſe dicebas prius.

Vulp. Et qualia hæc arcana? *Ludim.* Dixiſti prius,
Si Pædagogus ad horulam eſſes unicam,
Facilè adigendos parvulos, ut omnia
Fateantur, & non dicere ampliùs audeant:
Hæc nemo fecit. Nemo furatus anates,
Et poma nemo clepſit. *Vulp.* Hæc dixi prius,
Quid inde? *Ludim.* Doceas, obſecro, hunc & me modum.
En quindecim tibi crucigeros offero,
Plures enim non continent loculi mei.

Vulp. Ars tanta, credis, quindecim tantùm valet
Viles crucigeros? *Ludim.* Quindecim; credo, aureos
Valet, ſed ego non habeo. Cum tempore tamen,
Si ditior ero, quindecim aureos dabo.

Vulp. Dominus Baro ſi iubeat, aperiam modum,
Artemque, qua deterriti pueri ſuas
Culpas rejicere in neminem nunquam audeant.

Ludim. Ergo Domine Baro, Vulpulus pandat, jube,
Et doceat artem hanc unicè optandam mihi,
Ne Pædagogi munere amotus hodie
Cum Conjuge, & cum prolibus trinis ſtipem

Co-

Cogar rogare publicè per oppidum.

Beryll. An ergo verum, Vulpule, an nosti modum,
Artemque talem? *Vulp.* Domine scribaci, anne adhuc
Illam tenes Comœdiam, nuper tibi
A Patriota quopiam missam, & mihi
Avidè audienti nocte prælectam? *Scrib.* Putas
Comœdiam illam, quæ data est de Nemine?

Beryll. Qualis Comœdia hæc, quæ agit de Nemine?

Scrib. Est illa partus Ingenii acutissimi,
Authore quodam Nemini notissimo.

Vulp. ad Ludim. Votis tuis aptissima est, cujus scopus
Terrere pueros simplices, ne in neminem
Culpas suas rejicere posthæc audeant.

L*udim.* Hac utar, & sic munus implebo meum,
Ut nemo de me conqueri posthac queat.
Hanc ergo Domine scriba concedas mihi.

Scrib. Hoc comicæ artis obstupescendum omnibus
Musis opus non facilis, aut gratis dabo.
Tres aureos deposco. L*udim.* Quattuor dabo.

Doryl. Nec quindecim superesse crucigeros tibi
Paulo antea dixisti, & aureos modò
Promittere audes quatuor? L*udim.* Equidem modò
Non est, fatebor, aureus mihi unicus;

Sed

Sed proximis angariis, quando pueri
Tributa ſolvent, debitum hoc ſolvam tibi.

Scrib. Sed interim quod pignus, aut qualem vadem
Solutionis? *Ludim.* Quotquot in ſchola mea
Sunt parvuli, hos oppignoro cunctos tibi.
Et ſi hoc ſatis non fuerit, & trinos meos
His addo filiolos, licet chariſſimos.

Scrib. Iſta tibi ſerva pignora, ego meam mihi
Comœdiam. *Ludim.* Quin obſecro. *Vulp.* haud tandem hac opus.
Comœdiæ ſubſtantiam ſatis ſcio.
Modò velitis agere Perſonas, ſtatim
Docebo paucis omnia, & - - *Ludim.* Perſonam ego
Quamcunque ſuſtinebo, Lictoris quoque,
Aut publici Carnificis. *Beryll.* An & à me petis,
Ut ſim Actor hac in ſcena? *Vulp.* Utique Primaria
Perſona tibi ſervatur. Aſt opus nihil
Mutare veſtes. Eritis & tu, & Dorylas
Et ſcriba, quales eſtis. Et vos parvulos
Adſtare ſatis eſt. Solus alienum induet
Habitum Menalcas. *Menalc.* An etiam multùm loqui
Debebo? *Vulp.* Bina verbula. *Menalc.* Et poſtea anates
Habebo? *Tityr.* Nos quoque poma hoſtra? *Ludim.* Habebitis,
Quæ vultis omnes omnia. Ergo ad rem citò.
Hîc intus in cubiculo ſcenæ omnia

Apta-

Aptamus.. *Scrib.* Ego non ſoleo Perſonam ſine
Stipendio agere. *Ludim.* Spondeo Cereviſiæ,
Vel vini aduſti liberalem hauſtum tibi.

Doryl. Et Dorylæ quid? pariter ego gratis nego
Servire ſcenæ. *Ludim.* Pariter, & cum Muſicis
Potabis. *Doryl.* ô cum Muſicis? ſic ſobrius
Vixdum domum redibo. *Beryll.* Sed de Nemine
Quoniam hæc agit Comœdia: Ecquis Neminis
Perſonam aget? *Vulp.* Nemo. Sed ad opus jam citò.
Quid cuique agendum, breviter exponam. *Ludim.* Patet
Cubiculum hoc. Hîc melius, & ſine arbitris
Sunt tranſigenda cuncta. *Vulp.* Niſi Dominus Baro
Subire dedignetur. *Beryll.* Hoc tandem tuis
Didaſcale dabo precibus. Ipſus ſerviam,
Quantum patitur Authoritas, ſcenæ, ut tibi
Ludimagiſtri munus hac ſervem die.

Ludim. Exoſculor tam Benevolam, & piam manum.
Præite cuncti. Tum ultimus ego vos ſequor;
Omnes enim tanquam hoſpites hodie colo.

Pars

Pars Tertia.

Scena Prima.

Ludimagister. Vulpulus.

Vulp. Attende, moneo: nam interest tantùm tuâ,
Comœdia ut procedat ad votum. *Ludim.* Nihil
Quod est mearum partium omittam. Interim
Quid debeo tibi Vulpule! hac in ultima
Necessitate es Angelus Custos mihi.
Sine te fuisset, alius in Cathedra mea
Sederet, & pauper ego mendicabulum
Stipem rogare cogerer cum prolibus,
Lectissimaque Conjuge. *Vulp.* Hæc mittas modò,
Dum res peracta tota. Discedo interim
Tantisper, atque ex arce servos colligo,
Quos pariter in scena agere Personas volo.
Ludim. Agentne gratis? *Vulp.* Haustus his dandus utique.
Ludim. Sit. Dummodo Didascali munus mihi
Non auferatur, omnia expendam lubens,
Et si necesse fuerit, uxorem quoque
Cum Prolibus divendo.

Scena Secunda.

Ludimagister. Pueri scholares omnes aperta schola.

Ludim. - - - Quid pueri interim?

Silentium servâstis? *Gisp.* Appellavimus
Ad altius tribunal, haud tua amplius
Jussa reveremur. *Ludim.* Insolens! Jam munere
Didascali me credis amotum? brevì
Sese alia scena pandet, appellatio
Injuriosa proderit vobis parùm.
Sedete nunc, & scribite. Cito scribite.
Incipit dictare. **Der Niemand, der Niemand.** *
Quid audio? num cuculus in nostra schola?
Dast. Rupta est fenestræ rotula, facilè potuit hac
Intrare cuculus. *Ludim.* Capite. *Pueri.* Cernimus nihil.
Barth. Credo, avolavit rursus. *Ludim.* Ergo scribite.
Der Niemand, der Niemand.
Ruf. En! clamat iterum cuculus. *Glaph.* E Scamno ultimo
Allapsa vox est. *Ludim.* Quærite in scamno ultimo,
Et capite. *Pueri.* Nil videmus. *Ludim.* Ergo scribite.
Der Niemand, Der Niemand.
Gastr. Clamat iterum. *Ludim.* Ex qua parte? *Gastr.* dextra. *Ludim.* Quærite.
Tard. Nunc ex sinistra. *Ludim.* Cuculus hic mali ominis
Ne sit, timete. Scribite tamen, scribite.
Der Niemand, der Niemand.

Scena

* Puerorum aliquis cuculum imitatur.

Scena Tertia.

Accedit prioribus Menalcas personatus, ut nuntius.

Ludim. Quid tu hìc amice? litteras forsan mihi
Affers, & à quo denique? *Menalc.* Hic leges. *Ludim.* Mihi
Epiſtola eſt inſcripta; ſed manus tamen
Ignota. Dic, quis ſcripſit? *Menalc.* Hic lege.

Ludimagiſter apertæ Epiſtolæ ſubſcriptionem legit. Tuus ſervus fidelis Nemo. Jam novi Virum.
Videte pueri, quanta doctrinæ meæ
Sit fama! Quanta Authoritas! Servum meum
Se profitetur nemo. Sed dic, qui valet
Hic Nemo? quid nunc agitat? *Menalc.* Hìc leges. *Lud.* Nimis
Minutus eſt Caracter. Huc Rufule mihi
Mea perſpicilia. At Glaphyrus quid muſtitat?

Glaph. Quæſivit ex me Bartholus - - *Ludim.* Quid quæſiit?

Glaph. An ergo Nemo ſit aliquis? *Ludim.* Quid ambigis?
An Nemo poſſet ſcribere, niſi eſſet aliquis?
Sed porro, Conjux Neminis lectiſſima,
Et Filius qui vivit? *Menalc.* Hic leges. *Ludim.* Puer
Quid loqueris iterum? *Barth.* Habetne *Nemo Filium?*

Ludim. Amice, plures utique tibi erunt litteræ
Aliis ferendæ. Te morari non velim.
Si craſtina redieris, ut decet, dabo
Ad Neminem reſponſa. * *Vulp.* Num nemo dedit
Epiſtolam ad te? *Ludim.* Nemo, qui ſervum meum
Seſe fatetur. *Vulp.* Talem amicum gratulor.
Ludim. Noſtine, fors ipſe vidiſti hunc Virum?
Vulp. Jam ſæpe vidi Neminem. Quin primum heri
De nocte mecum nemo ſat diu fuit.
Ludim. Tecum fuit? ubi? *Vulp.* In arce noſtra. *Ludim.* Ergo ſolet
Etiam videri in arcibus Nemo? *Vulp.* ſolet,
Sed rarius; nam potius in ſolitudine
Suevit habitare nemo. Sed, quod dixi, heri
Mecum fuit. *Ludim.* Quid verò in arce negotii
Nemo habuit? *Vulp.* Accuſavit, & graviſſimè
Pueros tuos, & petiit, ut pro injuriis
Quas paſſus eſt graves, ſatisfieret ſibi.
Ludim. Injurias eſt paſſus à pueris meis
Nemo? *Barth.* Tamen non noſcimus nos Neminem.
Daſt. Quem nemo noſtrûm vidit unquam. *Vulp.* Litteras
A Nemine datas perlege. Hic fors audies,
Quæ ſint querelæ Neminis contra tuos.

* abit Menalces.

Ludim. Puer iſte perſpicilia confregit mea,
His absque legere neſcio minutam nimis
Hanc Scriptionem. *Vulp.* Cedito chartam mihi,
Tentabo, num libero oculo legere queam,
Quod nemo ſcripſit. *Ludim.* Accipe.

Scena Quinta.

Perſonis prioribus accedit Dorylas, cum duobus ſervis ex arce perſonatis, ut Faunis.

Ludim. - - - At quid Dorylas?
Quæ monſtra tecum adducis? *Doryl.* Illuſtriſſimo
Noſtro annuente venio. Tradas illico
Duobus hiſce, * quotquot è pueris tuis
Furti reos deprênderis, vel qui mala
Fraude, ut negarent propria delicta, omnia
In Neminem rejicere ſunt auſi, improbe
Dixiſſe ſoliti: *Nemo fecit. Ludim.* Et duo
Hæc monſtra quænam? & unde? *Faun. primus.* Nemo nos jubet
Ad vindicandas denique illatas ſibi
Injurias includere his ſaccis reos,
Sibique ſiſtere pueros adeo improbos.
Vulp. Ubi ergo nunc eſt Nemo? in arce forſitan
Apud Toparcham? *Faun.* 2. Nemo non eſt amplius
In arce, ſolitus horridam & nigram ſpecum
Inco-

* Faunos deſignat.

Incolere. Et hinc nos miſit, ut pueros reos
Eo abſtrahamus. *Doryl.* Annuit votis quoque
Dominus Toparcha. *Ludim.* Aſt horrida in cæca ſpecu
Quid traditis hiſce pueris fiet? *Faun. 1mus.* ſuo
Tractabit ex officio Nemo, ut ſolet.
Ludim. Et quomodo tractare captivos ſolet?
Faun. 2. Suſpendit ex arboribus, aut puteo cavo
Demergit. *Vulp.* O miſerrimos vos parvulos,
Quicunque læſi Neminis adeſtis rei.
Doryl. Hos ergo trade, & ocyus: nam ſic jubet
Dominus Toparcha. *Faun. 1mus.* Et Nemo tales Victimas
Sui furoris avidus exſpectat. *Ludim.* Reum
Ego ſcio neminem ex meis. Hinc neminem
Extradere queo. *Doryl.* Litteras à Nemine
Ad te datas ſi perlegis, in his omnia
Leges reorum nomina expreſſa. *Vulp.* Miſeri!
Miſerrimi! Nemo utique ſat clarè omnia
Nomina reorum hîc exprimit. *Doryl.* Igitur lege,
Et trade, quos hæc charta deſignat reos.
Ruf. Mentitur hodie Nemo, ſi me inter reos
Signavit. *Gaſtr.* Et me. *Glaph.* Nemini credite nihil.
Pueri omnes. Mentitur hodie Nemo. *Doryl.* Palpabile nimis

Mendacium hoc est, siquis audet dicere:
Mentitur hodie Nemo. *Ludim*. Sed quomodo potest
Certò rescire Nemo, quis furti reus?
Quis Poma, vel quis clepserit anates heri?
Faun. *imus*. An non perennis docuit experientia,
Quòd nemo videat omnia, & sciat omnia?
Ludim. Fatebor, ipse haud unico legi in libro:
Nemo videt omnia. *Nemo novit omnia*.
Faun. *imus*. Propheta nempe est Nemo, quem nihil latet.
Doryl. Legas igitur. *Dast*. An Epistola etiam illos notat,
Qui scamna confregêre? *Pigr*. Vel rotulas? *Vulp*. Notat
Omnes reos omnino. *Ludim*. Sed cur vos duo
Hæc quæritis? vos nempe conscientia
Accusat ipsa. *Dast*. Conscientiam nihil
Mihi dicere audio. Timeo tamen, quia
Etiam innócens possem abripi. *Pigr*. Nuper & ego
A Pædagogo cæsus, etsi altissimè
Clamarim, & innocentem me esse dixerim.
Doryl. Nil innocens metuat sibi. Solos reos
Hic adnotavit Nemo. *Vulp*. Nec vos quidpiam
Audebitis negare: nam auribus meis
Hæc dicta percepi utique: *Nemo garriens*
Et nesciens, & *Nemo rixatus*, *anates*
Nemo abstulit. *Gisp*. sic diximus; sed diximus

De

De Nemine illo, quem putavimus hactenus
Quod non sit aliquis. *Vulp.* Nemo talis, dic, ubi est,
Qui non sit aliquis? *Gisp.* Credo, quòd sit nullibi.
Barth. Ego dicta revoco. Namque volui dicere,
Dum nemo dixi, nemo nostrûm vel anates
Vel poma clepsit. *Doryl.* Iste nemo vestrûm ubi est?
Ostende sis. *Bart.* Num ostendere queam Neminem?
Gisp. Non capio, quomodo Nemo queat esse alicubi.
Faun. imus Videbitis mox Neminem in tetra specu,
Quò vos trahemus. *Vulp.* O malefaustos nimis.
Doryl. Nunc ergo saccos pandite, atque includite
Mox nominandos, atque tradendos reos.
Edm. Ludi Magister adjuva! *Pueri omnes.* adjuva tuos.
Ludim. Ad altius tribunal à meo prius
Ipsimet appellastis, ibi jam quærite
Præsidia. Ego discedo. *Doryl.* Quin legas prius
Nomina reorum prodita his in litteris.
Dast. Ah Domine Visitator! *Pueri omnes.* ah miseros juva!
Vulp. Contra Toparchæ imperia nil possum. *Doryl.* Lege

Nomina reorum. *Ludim.* Nimius heu! dolor vetat.
Caligat oculus. Nil video de his omnibus,
Quæ Nemo ſcripſit. *Doryl.* Ergo Vulpulus legat.
Ludim. Valete jam, valete pupuli mei,
Fors ultimùm conſpicio veſtrum plurimos,
Et me ultimùm conſpicitis omnes, qui rei
Trahentur ad ſupplicia, quæ Nemo inferet.
Pars Puerorum. ô iſte Nemo! *pars altera.* O iſte Nemo!

Scena Sexta.

Perſonis prioribus accedit Beryllus, Menalcas, Tityrus, Melibæus.

Beryll. ad Ludimagiſtrum. - - - - Quo hinc abis?
Subſiſte! *Pueri omnes.* Domine Baro, Domine Baro adjuva.
Edm. En iſta Monſtra abripere nos omnes volunt.
Beryll. Silete! novi jam omnia, & ſententiam
A Patre latam, Nemine urgente, in reos:
Sed dicite, an jam lecta ſint palam omnium
Nomina reorum, quæ ſuis in litteris
Nemo notavit? *Doryll.* Vulpulus ſtatim leget.
Beryll. Exſpecta adhuc tantiſper. En pueri! ultimam
Precibus meis placatus offert gratiam
Parens Toparcha, nemine invito licet,

Si

Si nempe ſponte, & liberè, ſed antequam,
Quam Nemo ſcripſit, charta prælecta fuerit,
Fateamini omnes, quidquid à vobis mali
Hodie patratum eſt. Venia delicti omnibus
Plenaria eſt conceſſa: ſed tantùm hac vice.
Ludim. O quanta gratia iſta! quanta gratia!
Vulp. Utamini iſta parvuli, atque in tempore
Utamini, vel nomina reorum lego.
Pueri omnes. Fatebimur. Fatebimur. *Ruful.* an iis quoque
Hæc gratia eſt conceſſa, qui Poma, & anates
Clepſere? *Tityr.* Si reddatis ablata omnia.
Menalc. Aut ſaltem aliquid æquivalens, ſi non habent,
Quod abſtulerunt, amplius, & anates meas
Jam devorârunt. *Ruf.* Domine Didaſcale, peto
Veniam exeundi. *Gaſtr.* Hanc & ego. *Ludim.* Non tempus modò
Eſt exeundi, ſed fatendi. *Beryll.* Si tamen
Exire forſan cupitis, ut, quæ adhuc domi
Reſidua habetis furta, reddatis, dabo
Veniam exeundi: ſed redite huc ſine mora.
Menalc. Quid abſtuliſtis igitur? anne anates meas?
Tityr. An poma noſtra? *Gaſtr.* haud abſtulimus anates tuas,
Tantùm aliqua panis fruſtula obviantibus
Famelicisque objecimus, ſponte ocyus
Nos ſunt ſecutæ. *Glaph.* Poma non furum modo
Nos Clepſimus; ſed prædium plena die

In-

Intravimus. *Gorul.* Quin absque vi detraximus.

Beryll. Quidquid sit. Ite, & reddite ablata ocyus.

Glaph. Absumpta poma reddere haud possum amplius.

Melib. Pecuniam ergo redde pro pomis mihi.

Glaph. Nec obolus est in sacculis. *Gorul.* sed nec mihi.

Tityr. Sit. Ergo aliud æquivalens redde. *Gorul.* Alvarum
Hunc cedo vobis. *Glaph.* Ego meum Canisium.

Tityr. Quid cum libris nos? *Mel.* aliud exsolve pretium.

Gorul. En! hîc sacra amuleta, sunt contra Magas
Remedia præstantissima. Hæc Mater dedit
Gestanda collo. Exinde nulla venefica
Me fascinare potuit, etsi plurimas
Nostra numeret vicinia. *Glaph.* Corollam quoque
Hanc offero. Non poma tot, crede, abstuli,
Quot grana numerat. *Tityr.* sed tamen grana omnia
Pomum valent nec unicum. *Melib.* Pecunias!
Pecunias! *Vulp.* Non scitis, ô pueri, satis
Pretium æstimare mercium. An non, Glaphyre
Isthæc corolla venit è terra sacra?

Glaph. Piissimus Eremita donavit meæ

Matri

Matri, sorori Mater, & soror mihi.
Vulp. Nil ergo dubites, venit à terra sacrâ.
Tityr. Talem corollam, quæ sit è terra sacra,
Jam sæpius, ni fallor, optavit Parens.
Melib. Accipimus, & referimus ad matrem domum.
Vulp. Etiam sacra amuleta noli spernere.
Infossa stabuli postibus cunctis Magis
Aditum vetabunt. *Melib.* Bene. Amitam nostram Parens
Sagam esse suspicatur, & nuper caprum
Male fascinâsse. Poterit adversus amitam
Servire res hæc sacra. *Tityr.* Matri ergo ferimus.
Glaph. Soluta sunt jam poma. Redeamus domum.
Melib. Valete modò furunculi. A vobis nihil
Ultra petemus, vos quoque à nobis nihil. *
Beryll. Fateantur etiam cæteri culpas suas,
Quas imputarunt Nemini. *Faun.* I. Aut sacco inditos
Ad Neminem deferimus in notam specum.
Pueri omnes. Fatebimur, fatebimur sponte omnia.
Ludim. Quis ergo scamna fregit, aut quis insolens
Rotulas fenestræ rupit? *Pigr.* Alvarus. *Lud.* Alvarus?
Nemo vocatur Alvarus vestrûm omnium.
Pigr. Liber iste sic vocatur. *Beryll.* Hic igitur liber

Ru-

* abeunt Tityrus, & Melibæus.

Rupit fenestras? *Pigr.* Rupit. In causa tamen
Est Strobulus. *Strob.* Quid? me facinoris argues,
Quod tu patrasti? nonne tu iratus mihi
Licèt absque causa debita hunc librum Alvarum
Projicere non es veritus in caput meum?
Ni providè adeo capite deflexo in latus
Tuum furorem effugere scivissem, gravi
Me sauciasses vulnere. *Pigr.* Imo improvide
Jactum parasti effugere; Sic enim Alvarus
Impegit in fenestram, &, invito licet
Me, teque rotulas fregit. *Ludim.* Egistis male
Uterque, sed tu Strobule tamen pessime.
Est fragile vitrum. Fortius caput tuum
Excipere debuisset hunc jactum libri.
Vulp. Sapienter! *Menalc.* At furunculos anatum vides
Redire Domine. Fac modò reddant mihi
Ablata. *Beryll.* Faciam.

Scena Septima.

Personis prioribus accedunt Rufulus, & Gastrimargulus.

Beryll. - - - adeste! num fertis anates,
Quas abstulistis? *Ruf.* Ecce! * *Men.* Quid? felem mihi?

Ruf.

* Rufulus ex corbe extrahit felem.

Ruf. Imo & anatem; nam felis hæc anatem tuam
Hac nocte devoravit. Invenies adhuc
In ventre. Sic restituo surreptam tibi,
Quin addidi aliquid amplius, pellem Cati.
Gastr. Hunc anserem, cerne, anatis absumptæ loco
Restituo. * *Menalc.* Recipio. *Beryll.* Sed unde tu anserem?
Nonne abstulisti? *Gastr.* Neutiquam. Soror mea
Mei miserta hunc obtulit. *Ludim.* Quænam tua
Hæc soror? *Gastr.* Adhuc est parvula. *Vulp.* Unde illa anserem?
Gastr. Deprendit in vicinia. Nil ultra ego
Interrogavi, quis, quid, ubi, vel quomodo.
Menalc. Factum bene. Nec pluribus ego interrogo,
Unde anser iste. Accipio. Tu * pariter mihi
Des anserem, nil exigo ultra. *Ruf.* Jam Catum
Et in Cati stomacho tenes anatem tuam.
Abito. *Vulp.* Amice, pinguis hic anser satis,
Geminis anatibus, non putas, æquivalet?
Contentus esto, & Nemini grates age,
Dum pro anate macra jam anserem pinguem tenes
Menalc. Esto, igitur abeo. Nemini grates ago.

Scena

* offert in corbe anserem.

Scena Octava.

Accedit Scribacius.

Scrib. Has nomine Illustrissimi mei scholas,
Reviso, quæ sunt gesta, visurus. *Ludim.* Bene
Hucusque sunt gesta omnia ad votum meum.
Scrib. Nullosne pueros Faunus in locum horridum
Abstraxit, atque ad Neminem abduxit?
Faun. 1. Nihil
Ut conspicis, adhuc continet saccus meus.
Faun. 2. Debebimus redire vacui ad Neminem;
Nam sponte pueri jam fatentur omnia.
Edm. Fatebimur adhuc plura. Scamna nempe ego,
Et Dastilus confregimus, sed non mala
Intentione. *Dast.* Finximus nobis, equum
Hoc esse scamnum. Inscendimus uterque, & alacres
Incepimus equitare; sed rupto pede
Concidit hic equus, & nos pariter. *Ludim.* Et quis prius
Tibi recitanti plura suggessit? an adhuc
Asserere pergis: Nemo suggessit mihi?
Pigr. Non Nemo fuit, at Rufulus, qui mihi prius
Suggessit aliqua. *Ruf.* Credidi hoc opus pium,
Et charitatis esse perfectissimum.
Vulp. Et quid modò Tardellus? an te hodie manè
Nemo excitavit? *Tard.* Nemo nil fecit hodie

An-

Ancilla ſola me excitavit. *Ludim.* Denique
An Nemo fuerat garriens, aut neſciens?
Daſt. Non Nemo fuerat garriens, aut neſciens;
Sed nullus ex pueris voluit hodie mihi
Recitare. *Gorul.* Sed nec garriens Nemo fuit.
Omnes ſimul garrivimus. *Beryll.* Sat eſt. Placet
Confeſſio tam candida. Hac ergo vice
Pronuntio vos liberos pœna, licet
Bene meritâ. Vos ite Fauni, & Nemini
Renuntiate geſta. *Faun. 1.* Vix erit ſatis
Contentus iſte Nemo, ſi nos viderit,
Saccis redire inanibus. *Faun. 2.* Saltem duos
Concede pueros devorandos *Pueri omnes.* Adjuva
Nos Domine Baro. Nos adjuva! *Beryll.** Deſiſtite.
Hodie nihil concedo; ſed ſi proxime
Audebit iterum quiſpiam ex iſta ſchola
Negare pertinaciter culpas ſuas,
Et Nemini imputare, dicendo, ut ſolent:
Hoc Nemo fecit. Nemo garrivit. anates
Et poma clepſit Nemo. Nemo eſt neſciens.
Tunc ocyus redite: & in ſolitudinem
Abſtrahite tales, & lacunis mergite
Horrida in eremo, aut arboribus appendite,
Ut nempe Nemo juſſerit. *Faun. 1.* redibimus;

Et

* ad Faunos.

Et forte ſtatim craſtinâ. *Faun.* 2. Nil ambigo,
Cras denuo, delicta qui negent, erunt.
Barth. Cavebimus. *Edm.* De Nemine ego nec verbulum
Poſthac loquar. *Ludim.* Vidiſtis, ô pueri, modo,
Quis Nemo ſit, qualisque? *Giſp.* Non vidi quidem,
Sed nec videre cupio. *Daſt.* Maneat in ſua
Solitudine iſta Nemo cum Faunis ſuis.
Ruf. Quàm nos hodie in anguſtias acerrimas
Coniecit iſte Nemô! *Ludim.* Semper Neminem
Ergo timete; nam mihi prodet omnia;
Quia Nemo novit omnia, & videt omnia.
Scrib. Hanc ergo gnomen dextera ſcriptam mea
In limine hoc ſuſpendo, quò pueris ſiat
Frœnum ſalubre, ne audeant poſthac ſuas
Negare pertinaciter culpas. Quia
Nemo videt omnia. Nemo novit omnia.
Lud. Et prodere poteſt omnia, & prodet mihi.
Beryll. Nunc Ite! claudantur ſcholæ. Poſt prandium
Vacabitis. *Ludim.* Vacabitis, ita, in gratiam
Domini Baronis. *Pueri omnes.* Vivat, & vivat diu
Dominus Baro. *Giſp.* Etiam Dominus Inſpector ſcholæ

Vivat

Vivat diu! *Pueri omnes.* Vivat diu! *Ludim.*
De me nihil?

Vulp. Ludimagister vester an hic non diu
Vivat? *Gisp.* Hodie vivat. *Pueri.* Hodie
vivat diu. *

Vulp. Finita jam Comœdia ad votum tuum.

Doryll. Actoribus nunc siste te gratum quoque.

Ludim. Si vini adusti placeat haustus, hoc
meum
Cubiculum subite; sed Domine Baro,
Nunc utique confirmatus in munere meo
Non habeo, cur solicitus ultra sim? *Beryll.*
Potes
Securus esse, quamdiu pueri tui
Tam simplices, ut Neminem timeant, erunt.

Q. A. M. D. G.



I 2 AVA-

* Abeunt Scholares.



AVARITIA PUNITA.

Argumentum

Dedit civis, qui effigiem, qua se depingi curavit, acceptare renuit ob nimium, ut avaro videbatur, pretium. Pictor ingenioso usus dolo effecit, ut non modò petitum, sed majus etiam pretium pendere coactus fuerit.

Personæ.

Chremes.
Filius, Toparchæ.
Amanuensis, Toparchæ.
Filius, Chremetis
Apellinus, Filius Pictoris Urbani.
Pictor, Steinheimiensis.
Philippulus, Studiosus.
Dorylas, Famulus Chremetis.
Mopsulus, Puer Rusticus.
Apparitor.

Pars

Pars Prima.

Scena Prima.

***Chremes*, *Filius*.**

Chrem. Nunquid Fili! belle ornatum cubiculum meum? *Fil.* Quot, quæso Pater! pecunias pro fumosis his imaginibus prodigus expendisti? *Chrem.* Nullas expendi pecunias: ex hæreditate fratris mei nuper defuncti hæc omnia mihi obtigerunt. *Fil.* Cur verò non vendidisti hanc hæreditatem? semper enim solebas dicere, gratiorem tibi esse nummum solidum, quàm centum tabulas telæ lineæ, quibuscunque coloribus illinitæ? *Chrem.* Cogitabam vendere has effigies, sed duplex obstitit ratio: Prima, quia nullum emptorem inveni; Secunda, quia has effigies in tuam gratiam reservare volui. *Fil.* In meam gratiam? *Chrem.* ut majores tuos agnoscere, & venerari, atque etiam posteris tuis possis olim ostendere prosapiam tuam. Hi omnes enim tui sunt progenitores. Ecce! effigies hæc est avi tui, qui primus ex stirpe nostra ex sabaudia in germaniam transiit, & purgandis ibidem caminis magnam sibi famam peperit. *Fil.* Ex tam humili opificio magnam famam? *Chrem.* næ humile opificium dixeris, quod, qui exercent, semper ad altiora ascendunt, & super aliorum capita ambulant in excelsis. - - Hic verò avi tui frater est, pariter ex sabaudia in germaniam delatus, muscipularum stru-

endarum, & capiendorum murium peritissimus artifex. *Fil.* Nobile nobilissimæ artis exercitium per campos, & agros insidias struere. *Chrem.* Utique magnis belli ducibus comparari potest, qui semper in campo hostibus Patriæ invigilat, & captos trahit. Tertius hic tuus Patruus est, frater meus, qui etiam tenui ex mercatura, forficulis, cultellis, quin & sulphuratis lignis quæstum fecit eximium, apud Rusticos præsertim, & pueros, quos mirabili industria scivit inducere. Atque hic nuper defunctus omnem mercaturam suam, & hanc liberrimè exercendi facultatem mihi legavit, quam & ego olim legabo tibi. Hanc, si debita cum industria exercueris, ditissimus tandem efficieris, & filii tui se poterunt scribere prænobiles. *Fil.* Cur non jam Prænobilem me scribo tantis majoribus ortus? *Chrem.* quia Prænobiles non solent exercere mercaturam tantum tenuiorem, sed grandioribus commerciis nomen suum, & sua marsupia dilatant. *Fil.* quæ verò hic pendet Regula sine ulla effigie? *Chrem.* Meam effigiem hæc Regula exspectat. *Fil.* Tuam? cur? *Chrem.* quia & ego utique inter majores tuos æternam memoriam, & venerationem à te, & tuis posteris mereor, & exspecto. I, pictorem adi, & quære, an nondum absolverit, quàm nuper pingendam petii, effigiem meam. *Fil.* Qualis hic pictor? *Chrem.* Italus est, & Pictor in arte sua celeberrimus. *Fil.* italus? ergo erit pretiosus. Quantum putas debebis expendere

pro

pro hac effigie? non priùs convenisti cum pictore? *Chrem.* non conveni. decem tamen denarios non invitus dabo. *Fil.* Pro trium palmarum rudi tela coloribus obfuscata decem denarios? *Chrem.* non pluris æstimas effigiem venerandi Parentis tui? super omnia æstimare debes parentem, & præsertim parentem talem, qualis sum ego, tam pro te sollicitus, & pro te ditando in me ipsum parcus. Abi jam ad pictorem italum - - at advenit ipsius filius.

Scena Secunda.

Accedit Filius Pictoris.

Apel. Pater meus strenuæ Dominationi suæ se commendat. *Fil.* Strenuæ Dominationi! *Apel.* & petitam effigiem submittit ad vota, ut sperat, perfectam. *Chrem.* Videamus ergo. *Ap.* patere moras, dum evolvam pluribus picturis involutam. *Chr.* An plures alii petiere exprimi effigies suas? *Ap.* plures, ad quos modo præsentes deferre iubeor. *Fil.* Cujus hæc est effigies? *Ap.* est effigies Dominæ illius modò viduæ - - nomen non occurrit - - est Dominæ, cujus Maritus ante octiduum mortuus est, habitat propè domum nostram. *Chr.* Hæcne petiit se depingi? & cur post mortem Mariti? *Ap.* quia novus illi sponsus oblatus est, qui tamen hanc fœminam cum nunquam viderit, ejusdem saltem effigiem sibi submitti petiit. *Chr.* Octava post mortem mariti die jam novum sponsum quærit?

ſaltem trigeſimum exſpectet. *Ap.* hoc in negotio periculoſa ſæpe eſt mora. *Fil.* hinc & tu Pater ſecunda ſtatim hebdomade poſt mortem uxoris tuæ matrem meam duxiſti. *Chr.* ſile tu puer! cæterùm viduam hanc bene novi, ſed ejus effigiem non noſſem, nimis prototypo ſuo diſſimilem. Imago enim formoſam, & vix viginti trium annorum Juvenem exhibet, cum vidua illa frontem jam rugoſam oſtendat, & ultra quadraginta ſex annos vivendo impleverit. *Ap.* id verum quidem, ſed artificioſus penicillus rugas in fœminis ſtudio occultat. *Chr.* ſed quare hoc? *Ap.* quia fœminæ volunt depingi, non quales ſunt, ſed quales eſſe optant, & viduæ præſertim ſemper videri volunt 20. annis ætate minores, quàm revera ſint. *Chr.* ſed ſic miſeri mariti turpiter ſæpè decipiuntur. *Ap.* ſæpe amant decipi. *Fil.* nunquid & tu Pater deceptus es? nam mater mea certe non fuit formoſa, & præter rugas etiam e collo ſtrumam, gibbum in tergo gerebat. *Chr.* tace, inquam, puer, aut modeſtius ſaltem de matre loquere. Quæ hic imago? puto me agnoſcere perſonam, cui hæc eſt ſimillima. Nunquid fili! ſimillima eſt filiæ vicini ſutoris noſtri? *Fil.* omnino gibboſus naſus, & os late patulum prodit. *Ap.* non erratis, effigies eſt ſutoris filiæ. *Chr.* ergo & ſutorum filiæ ſe curant depingi? *Ap.* ipſa quidem ſe depingi non petiit, ſed aliquis Dominus ſtudioſus. *Chr.* & cur hoc? *Ap.* de hoc interrogare non ſolet parens meus. Pingit ille, quod petitur - - ſed jam tuam ecce effigiem

giem. Omnem certe artem illi adhibuit parens meus, ſpero, placebit. *Chr.* fili! accede! an noſcis in hac effigie parentem tuum? *Fil.* omnino tibi eſt ſimilis. Geminos infra frontem oculos. In medio naſum. Infra naſum os exhibet, & geminas in capite auriculas ſatis longas. *Chr.* hoc formæ meæ primarium eſt diſtinctorium. Adhuc parvulum me mater à parvulo fratre hoc uno noverat diſtinguere, ex longioribus nempe auriculis. *Ap.* omnia ſtudioſe in vultu tuo obſervavit Parens meus, & ſtudioſe omnia, & fideliter expreſſit. *Fil.* quod vero pretium laboris poſuit parens tuus? *Ap.* ſeptem tantum florenos. *Chr.* quid ais? ſeptem florenos? ſeptem denarios vis dicere. *Ap* pictores Itali non laborant pro denariis. Septem aureos potuiſſet petere. *Chrem.* potuiſſet petere, ſed quis dediſſet? ſeptem florenos pro tribus palmis rudiſſimæ telæ lineæ, & aliquot allitis coloribus? *Ap.* non pro tela, aut coloribus, ſed artificioſa manu ſua ſeptem florenos parens expoſcit. *Chr.* Credo, quod parens tuus non venderet manum ſuam infra florenos ſeptem. Sed non poſco illius manum. *Ap.* non pro manu, ſed artificioſæ manus ſuæ opere ſeptem florenos pater expoſcit, & optimè meruit. *Fil.* Pater! ſi tantum picturis pretium eſt, vendamus illi majores noſtros. *Chr.* ita eſt. Ecce omnes has tres effigies pro ſeptem florenis cedam parenti tuo. *Ap.* vendere picturas ſolemus, non emere, præſertim tales. *Chr.* Recipe, recipe picturam tuam, meos ego retinebo florenos. *Fil.* recte facis pater.

Pro septem florenis quot poterimus comedere farcimina, quod unicum mihi gratius, quam omnes majorum effigies, & eorum memoria. *Chr.* dixi. recipe picturam tuam, & domum redi. *Ap.* Non recipiet hanc parens. Tu perfici jussisti hoc opus, tu & solves, aut judicem adimus. *Chr.* solverem tandem, si mea hæc esset effigies, sed non est mea, est mihi dissimillima. Nunquid fili? *Fil.* omnino est tibi dissimillima. *Ap.* Tu ipse dixeras, te in ea Patrem agnoscere. *Fil.* dixeram, quia nihil audieram de septem florenis. Nunc melius illam dum considero, invenio Patri dissimillimam. *Ap.* Bene, testes adhibebimus. *Chr.* ita. Age puer, Dorylam testem voca.

Scena Tertia.

Chremes, *Appellinus*.

Ap. Quis iste Dorylas? *Chrem.* est peretissimus censor imaginum; nam adhuc puer cum patre suo pulcherrimos iconismos, & impressas imagines per pagos venales circum tulit, & etiam asini mei stabulum elegantissimis ejusmodi typis exornavit. *Ap.* Stabulum asini tui? *Chrem.* ita. Nam in domo mea omnia volo esse splendida, nec meum tantum, sed & asini mei cubiculum picturis exornatum, & præsertim majorum nostrorum effigies palam prostantes.

Scena

Scena Quarta.

Chremes. Appellinus. Filius. Dorylas.

C*hrem.* Ades Dorylas! vides hanc picturam? nunquid est deterrima? *Doryl.* dicerem esse effigiem tuam, nisi filius monuisset, ut dicerem contrarium. *Ap.* Sic fraude agitis? *Fil.* stupor est Dorylas, vino adusto ebrius; nescit, quid loquatur. *Doryl.* Nunquid bene locutus sum ad mentem tuam? *Ap.* loquere jam ex mente tua, & dic sincere: nunquid pictura hæc ad vivum exprimit herum tuum? *Doryl.* here! perspicialia tua non nihil commoda. C*hrem.* accipe. Videbo num apta sint oculis tuis, si nempe recte judices. *Ap.* Considera bene omnes herilis vultûs, & omnes picturæ lineas. - - jam dic sincere. Nonne pictura hæc præsentem Dominum ad vivum exprimit? D*oryl.* hoc plane non. Omnino non. C*hrem.* recte judicas. *Ap.* & cur non? quid deest? D*oryl.* non exprimit herum meum vivum; nam nec oculos, nec labia movet, nec aliud vitæ signum edit pictura. *Fil.* recte dicis. Magnum utique discrimen est inter vivum, & mortuum. An aliud discrimen non vides? D*oryl.* etiam. *Ap.* & quale illud? C*hrem.* loquere, loquere. D*oryl.* pictura hæc est recentissima, & heri primum nata; Herus autem meus jam inveteratus dierum est. C*hr.* ita est, & hoc solum sufficit, ut non sit meum ectypon. *Ap.* est ectypon perfectissimum. C*hr.* falsissimum. *Ap.* artificiosissimum. *Fil.* ineptissimum. *Ap.* pulcherrimum. C*hrem.* deter-

rimum

rimum. *Ap.* tibi ſimillimum. *Chr.* & *Fil.* Nihil minus. *Ap.* nihil certius. *Chr.* & *Fil.* nihil minus. *Ap.* nihil certius; appello ad omnes pictores. *Chrem.* & ego ad omnes lictores. *Ap.* eſt ectypon tuum veriſſimum. *Chr.* & *Fil.* falſiſſimum. *Ap.* veriſſimum. *Chr.* & *Fil.* falſiſſimum, falſiſſimum. *Doryl.* ſimus boni. Utraque pars recte dicit in ſuo ſenſu. Et ego ſentio cum utroque, nempe pictura, & herus meus ſunt diſſimiliter ſimiles, & ſimiliter diſſimiles. *Ap.* non diſputabo vobiscum pluribus, alios brevi teſtes habebo plurimos. *Chrem.* abi, abi tantum, & picturam tuam ad Patrem refer. *Ap.* referam. Tu tamen ſolvere debebis, velis nolis.

Scena Quinta.

Chremes. Filius. Dorylas.

Chrem. Quanto labore ſtetit ſeptem florenos in marſupio retinuiſſe! ſeptem florenos pro una effigie! Quam impudentes ſunt itali pictores. *Fil.* Faciunt, quod mercatores ſabaudi ſolent, duplo majus pretium pro mercibus ſuis exigunt. Sulphurati ligni faſciculum quinque denariis pretio vendunt. *Chrem.* Cave puer, de majoribus tuis male loquaris. Ponunt quidem ſabaudi, & ego ipſus exceſſivum merci pretium, ſed ſi gnavum emptorem invenimus, demum ad infimum etiam pretium deſcendimus. *Doryl.* Here! ſi pictorem cupis, ſcio ego aliquem non italum, nec tam pretioſum. *Chrem.* quis ille? *Doryl.* in proximo

pago

pago Saxhusano stabulatur. *Fil.* Pater! nec pictore, nec effigie tua nobis opus est; sufficiunt mihi hi majores mei. *Chrem.* Tam parvi æstimas parentem tuum? omnino pingenda & hic suspendenda effigies mea, ut æternam mei habeas memoriam, & me saltem in effigie venerari discas.

Scena Sexta

Accedit Mopsulus.

Mops. Heus! an mercator domi est? *Fil.* est, & non est. *Chrem.* Hic me vides. Quid petis? *Mops.* primo velim fasciculum sulphurati ligni. Secundo fomitem. Tertio calybem. *Chrem.* his omnibus provisum est tabernæ meæ. En! in promptu, quæ postulas. *Mops.* & quantum petis pro his mercibus? *Chrem.* pro fasciculo hoc quinque crucigeros, pro fomite totidem; quo calybe decem; summa summarum viginti crucigeri. *Mops.* Quid viginti crucigeros pro his quisquiliis? an emptorem puerum in me invenisse te credis? *Fil.* certe vir non es. *Chrem.* Quantum ergo dabis? *Mops.* pro omnibus simul quinque crucigeros. *Chrem.* Ma foy. Conscientiam meam testor, tali pretio dare non possum, ipsus perderem. *Mops.* & ego conscientiam meam testor, plura non dabo, quàm quinque crucigeros. *Chrem.* da saltem decem. *Mops.* nec obulum ultra quinque dabo. *Chrem.* da saltem septem. *Mops.* dixi nec obulum ultra quinque, nec plures mihi pecunias mater dedit. *Chrem.*

ma

ma foy. Non possum. *Mops.* Ergo retine tibi merces tuas. Alium ego mercatorem adeo, cui tenerior, quàm tibi sit conscientia. *Chrem.* exspecta, pro hac vice accipe pro pretio, quod posuisti. *Mops.* en quinque solidos crucigeros. *Chrem.* ma foy. plus quàm dimidium perdo. Sed tamen, ut hodie saltem aliquid lucrer. *Doryl.* Audi parvule! puto me jam sæpius te vidisse, nunquid natus es in pago Saxenhusano? *Mops.* an, & ubi natus sim, nescio, sed modo parentes mei habitant in dicto pago. *Doryl.* non nosti habitantem ibi pictorem? *Mops.* pictorem nostrum famosissimum non norim? *Chrem.* famosissimum ais? *Mops.* utique. Omnes in pago nostro domos suis picturis illustravit. *Chrem.* Estne autem pretiosus, & multam laboris sui mercedem exigit? *Mops.* nescio. Hoc scio, domum parentis mei totam penè coloribus oblinivit pro sex denariis. *Doryl.* Ergo minore pretio pinget effigiem tuam, quæ multo minor est, quàm Domus integra. *Chrem.* Bene. dic ergo huic pictori vestro, si fortè in urbem venerit, ad me accedat. *Mops.* Imo jam est hodie. Vidi illum in foro. Visne forte, ut etiam domui tuæ inscribat: Laudetur Christi? *Chrem.* nil domui meæ inscribi volo, sed me ipsum depingi. *Mops.* si denuo obviam habuero, monebo, ut veniat. *Fil.* si prior pictor Italus picturam suam non recipiat, sed utpote à te imperatam ad te remittat, quid ages cum gemina effigie tua? *Chr.* centies ad me mittat, nunquam admittam. vos tantum constanter,

&

& ſtrenuè teſtamini, eſſe mihi diſſimillimam. *Doryl.* Ego tamen fateri invitus coram te tantum debeo. Videtur mihi ſatis ſimilis tibi. *Fil.* Et eſt etiam reipſa talis. *Chr.* Quidquid reipſa ſit, vos affirmate etiam cum mendacio, ſi opus etiam cum Juramento, eſſe mihi diſſimillimam.

Pars Secunda.

Scena Prima.

Chremes Philippulus.

Chr. En! Domine Philippule; ſemiquadrantem prunorum rite appenſum. Augmentum addo pruna tria. *Philip.* Nimis liberalis es ſabaudus. *Chr.* Quid præterea petis? *Philip.* papyrum. *Chr.* Ecce. *Phi.* Quàm nigra, & craſſa eſt hæc papyrus! *Chr.* Nempe in hac vicinia rari ſunt etiam candidi, & ſubtiles centones, ex quibus papyrus conficiatur. Quid præterea petis? *Phi.* pennas aliquot ad ſcribendum. *Chr.* En! integrum faſciculum. Ex his optimas tibi ſelige. *Phi.* Nulla ùt video, multùm valet. Habes certè in hac taberna tua merces non admodum bonas. *Chr.* An mater tua, quæ etiam mercaturam aliquam exercet, meliores habet? *Phi.* Non exercet mater mea mercatum, ſed tamen veſtas detritas, vel alias vendibiles colligit, & per domos emendas circumfert. Quantum jam tibi debeo pro his? *Chr.* de his conveniam cum matre tua, cui condoleo, quod nuper facta ſit vidua. *Phi.* Non

Non condolere matri, ſed gratulari debes. Ipſa enim ingentes cælo gratias agit, quod tali marito ſit liberata. *Chr.* An non jam cogitat, ut alium ſibi maritum, tibi Patrem inveniat? *Phi.* Neſcio. Hoc ſolum ſcio, quòd voto ſe mater obſtrinxerit. *Chr.* Quo voto? caſtitatis? *Phi.* hoc minimè. Sed voto non nubendi amplius alicui italo ùt priùs. *Chr.* Et cur non? *Phi.* quia, ùt mater dicit, itali ſunt homines maximè cholerici, & zelotypi. *Chr.* Ego autem novum Matri tuæ ſponſum poſſem proponere, qui non eſt italus, nec cholericus, nec zelotypus. *Phi.* Quis ille? *Chr.* ecce hic effigies majorum meorum, omnes fuêre ſabaudi. *Phi.* Nunquid idem eſt ſabaudus, & italus? *Chr.* Erras mi bone. Toto cælo diverſi ſunt ſabaudi ab italis, ùt galli ab hiſpanis. Jam explicabo plura. Hic eſt Pater meus, hic frater, hic meus ex fratre nepos. *Phi.* Et hæc vacua Regula cujus effigiem exſpectat? an defunctæ, an futuræ uxoris tuæ? *Chr.* neutrum poteſt dici; ſed mea, mea propria effigies huic Regulæ eſt inſerenda. Pictorem in momenta exſpecto, qui me ad vivum exprimet. *Phi.* Ego Pictorem ſcio ſatis peritum, ſi vis - *Chr.* illum nempe italum in urbe noſtra. *Phi.* Non eſt italus, de quo loquor, ſed helvetus. *Chr.* Helvetus? an ars pingendi etiam in helvetia diſcitur? *Phi.* didicit hanc artem non in patria ſua, è qua jam puer exceſſit, ſed in vicinia noſtra, & quidem marte proprio. *Chr.* Artem pingendi marte proprio? *Phi.* & in illa ſenſim ita profecit, ut jam in

thea-

theatris etiam adhibeatur, & modo occupatus eſt in quibusdam depingendis pro ſcena, in quam proximè ſchola noſtra prodibit. Mox illum ad te huc mittam.

Scena Secunda.

Chremes.

Chr. Fili! Doryla! Fili! Doryla! an ſurdi eſtis uterque? habeo, de quo vos conſulam. Tu quidem Doryla pictorem mihi propoſuiſti ex pago Saxenhuſen; jam verò Studioſus aliquis alium mihi commendat peritiſſimum. Quem eligam ex duobus? *Fil.* Neutrum, pater! neutrum, nec enim opus eſt nobis effigie tua. *Chr.* At ego velim effigiem meam hodie adhuc ſuſpenſam: *Doryl.* illum cur non acceptas, quem ego propoſui, & quem per puerum ruſticum jam advocari petiiſti? Hic enim non eſt italus, adeóque nec adeo pretioſus. *Chr.* Etiam alter non eſt italus, ſed tantum Helvetus. *Fil.* Quid inde? etiam germani pictores jam ſciunt exceſſivum pretium pro ſuis laboribus expoſcere tam benè, quam itali, niſi prius cum iis paciſcaris. *Doryl.* Hoc ergo age, utrique pictori loquere, illique te depingendum committe, qui minus exiget pretium. *Fil.* Sed ſi utrumque pictorem advocas, utrique debebis ſolvere, ſaltem laborem, quod te adiverit in Domo tua. *Chr.* aditum ad me debebo ſolvere? *Fil.* etiam medicis, ſi vocentur, ſolvendi ſunt omnes greſſus, etſi nullam medicinam præſcribant, aut ſaltem nil opis ægro conferant.

Scena Tertia.

Accedit Pictor Saxenhusanus.

Saxh. Laudetur Christi. Audio in hac domo expeti penicillum meum, quem promptus offero ad obsequia. *Chr.* Penicillo non indigeo, ipsius hic plures habeo vendibiles. *Sax.* Tamen affinis mei filius Mopsulus modo me monuit, in hac domo operam meam expeti. *Fil.* An pictor es? *Saxh.* Dei & Apostolicæ sedis gratia. *Fil.* Apôstolicæ sedis? *Sax.* quia per summum Pontificem artem pingendi didici. *Chr.* Per summum Pontificem? an ergo Romæ, & in Italia fuisti? *Doryl.* Ipse Pontifex te artem pingendi docuit? *Saxh.* nec Italiam, nec Pontificem vidi unquam, sed cùm nuperis annis Papa indulgentias concessisset salutationi Christianæ: *Laudetur Christi.* Rustici omnes hæc verba suis domibus appingi voluêre. Tentavi ego penicillum, & ex hoc quasi tyrocinio ita hucùsque profeci, ut pictoribus italis parùm cedam. *Doryl.* Ego te hero meo commendavi, mihi debebis, quod feres lucrum. *Chr.* An nôsses imaginem meam vivis coloribus exprimere? *Sax.* vivis ego coloribus non utor. *Fil.* Hoc vult dicere parens: an illum possis ad vivum depingere? *Sax.* nuper in taberna uxorem meam nigris coloribus ita depinxi: ut jam omnibus sit notissima. *Chr.* At ego nolim nigris coloribus depingi. *Sax.* Depingam, quibus volueris. Varii enim generis mihi colores sunt, creta candida, flava, & rubra

rubra, & aliquid etiam cærulei Berlinenſis. *Chr.* Et quantum petis pro conficienda effigie mea? *Fil.* ſed ad vivum expreſſa. *Sax.* Quantæ altitudinis, aut latitudinis ſit oportet? *Chr.* Ut huic Regulæ aptê includi poſſit. *Saxb.* duobus aureis contentus ero. *Chr.* Quid? duobus aureis? *Fil.* nec italus plus petiit. Integram domum ruſticam coloribus oblinivisti pro ſex denariis, & pro parva effigie duos aureos poſtulare audes? *Sax.* nempe olim, dum pictor eram ruſticanus tantum, verecundè pretium labori poſui. Nunc pictor academicus jam plura audeo exigere. *Fil.* Tu pictor academicus? *Sax.* ita, quia jam laboro in theatris academicis. En! opus recentiſſimum heſterna nocte pro ſcena hujus Gymnaſii elaboratum. *Fil.* Quid referat hæc pictura? *Sax.* quæris? caput angeli. *Fil.* Caput Angeli? veſpertilioni, quàm Angelo certè eſt ſimilior. *Doryl.* Mihi ſimillima videtur Diabolo. *Sax.* Ita videtur nunc, dum picturam è propinquo aſpicitis, alia apparebit è longinquo, & in theatro ad lucem collocata. Et hoc ipſum artis præcipuum ita pingere, & oculos decipere, Angelus ut fiat, qui modo Dæmon erat. *Chr.* Abi, abi pictor academice cum tuo vel Angelo, vel Dæmone, vel veſpertilione. fili! exſpectemus pictorem alterum, quem Philippulus adducet. Et ecce!

Scena Quarta.

Accedit Philippulus.

Chr. Ades iterum Domine Philippule? ſed

cur ſine pictore? *Philip.* quia, ùt video, jam adeſt. *Chr.* Erras Philippule, hic pictor eſt Saxheimienſis, ille autem de quo tu mihi, eſt helvetus. *Sax.* Rectè: ego ſum helvetus. *Fil.* Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia. *Philip.* nempe in Helvetia natus, & Steinhemii educatus. *Sax.* Et jam ibidem civitate donatus. *Doryl.* Civitate donatus in pago?

Scena Quinta.

Accedit Appellinus.

Appell. Redeo juſſus à Patre. Quæro illius nomine ultimum: An effigiem tuam acceptabis, & petito pretio ſtatim exſolves? reſponde ex ſtapede. *Chr.* Nec modò conſcendo aſinum, ut reſpondeam ex ſtapede. *Ap.* Mitte nugas. Res ſeriò agitur. Quid reſpondes? dic ita, vel non. *Chr.* Ita, vel non. *Ap.* Acceptabis? *Chr.* ita, ſi parens velit, acceptabo. *Ap.* Et petito etiam pretio ſtatim ſolves? *Chr.* hoc non. *Ap.* Et quare non? *Chr.* quia non eſt mea vera, & viva effigies. Hic ipſe, qui Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia, & marte proprio artem pingendi didicit, & intelligit, ſi videret, damnaret picturam tuam. *Sax* Oſtendite effigiem, feram ſententiam ſine partium ſtudio. *Ap.* Quid tu Pollinctor iterum in urbe? in omnes domos irrepis, & urbanis Pictoribus panem ſurripis. *Sax.* Ars pingendi eſt opificium liberum, prohiberi non poteſt. *Ap.* Tu Pollinctor es, non pictor. *Sax.* Parcius iſta viro. *Deryl.* Et viro, qui tot ruſticorum do-

mos

mos sua arte illustravit? *Philipp.* qui in scenis etiam literariis laborat. *Fil.* Qui vespertilionem pingit tam artificiosè, ut in theatro Angelus appareat. *Ap.* Nolim cum cerdone certare. A te ultimum quæro. Effigiem tuam à Patre meo elaboratam non solves? *Chr.* non solvam. *Ap.* Et ideo, quia non est vera effigies tua? *Chr.* Ita, quia non est, nullo modo est. Nemo Diabolorum me in illa agnosceret. *Ap.* Dictorum testes vos omnes volo: attende tibi. *Chr.* Ita, ita. Testes hos omnes habeas, modò abeas. *Ap.* Abeo. Sed attende tibi. *Chr.* Tu quoque abeas, quo lubet, Saxenhemum, vel in Helvetiam, vel ad sedem Apostolicam. Nihil mihi negotii cum pictoribus, sive Itali sint, sive Germani, omnes suis laboribus ponunt enorme pretium, & contra omnem conscientiam. *Sax.* Facimus, ut vos sabaudi mercatores. *Phi.* Veni ergò mecum ad Matrem, restant ibidem tibi perficienda. *Sax. Laudetur Christi.*

Scena Sexta.

Chremes, Filius, Dorylas.

Doryl. Here! si tandem depingi cupis, & quidem gratis, impono ego manum meam. *Chr.* Quid manum tuam? an pingere aliquando didicisti? *Doryl.* etiam marte proprio: modò quidem hoc opificium non ampliùs multùm exercere soleo. Scis enim me puerum cum Patre meo varios iconismos per pagos circumtulisse, & vendidisse. Ex his iconismis

aliquos ſolebam etiam pulcherrimis coloribus obducere, & ut vocamus, illuminare. *Fil.* Si & Patrem meum illuminare poteris, rem mihi miram præſtabis. *Doryl.* Tantum colores ſuppedita. Tentabo. *Chr.* Colores habeo varios in tabernula mea. En cretam candentem, en & flavam. En etiam penicillum. *Doryl.* pretioſas ſane merces habes here. Fui nuper in urbe quadam celeberrima, & tamen in tota illa urbe nec penicillum, nec quidpiam, quod ex porcorum ſetis conficitur, invenire potui. *Chr.* Noſtin colores dextre miſcere? *Doryl.* tentabo, vel ſi prima vice res non ſtatim ſuccedat, adhibebimus colores novos. Vel exſpecta, habeo adhuc aliquid jam præparati coloris, quo nuper imaginem aſini illuſtravi: ſufficiet adhuc pro te depingendo, quæro -- *Fil.* eodem ergo colore te Pater, & aſinum exprimet? quàm bella hæc erit effigies, dignaque ut inter majores noſtros pendeat!

Scena Septima.

Chremes, *Filius*, *Philippulus*

Philip. Quid eſt Chremes? noſtine quid tecum agatur? *Chr.* mecum? *Phi.* quod ſuſpenſus ſis in foro publico? *Chr.* Ego ſuſpenſus? *Phi.* ſuſpenſus in effigie, & quod caput rei cum aſininis auribus longiſſimis in capite depictis. *Chr.* Quid ad me hæc effigies? non eſt mea. *Phi.* Tamen cives omnes, qui tranſeuntes te in via ſine hæſitatione agnoſcunt, quin

quin plena populo platea risibus insonat, en! clamant, en chremes cum asininis auribus. *Fil.* Stropha hæc est, parens! quam in te pictor Italus; patiêris hanc injuriam? *Phi.* non curabis saltem, ut tam probrosa tibi effigies è publico, & hominum oculis, sannisque submoveatur? *Chr.* abi Fili! rem totam explora, & ad me refer. *Phi.* Me sequere, ducam ante pictoris domum, ubi videbis. *Chr.* Luet, juro, luet hanc injuriam Pictor Italus.

Pars Tertia.

Scena Prima.

Baro, Scriba, Chremes, Filius, Dorylas, Apparitor, Philippulus.

Scrib. Si vera est, gravissima est accusatio tua. *Apparit.* Et justissima.. *Chr.* Testes habeo omni exceptione majores. Hunc D. Philippulum, hunc Dorylam meum servum, & denique proprium meum filium. *Scrib.* Nec testibus nobis opus, quod urbs tota affirmat. *Fil.* Adhuc pendet ante pictoris domum probrosa Patris effigies. *Baro.* Si Dominus Parens Toparcha adesset, reparare cogeretur pictor, & certè ubi redierit, curabit etiam me urgente, ut tibi abunde satisfiat. *Chr.* Ero obstrictissimus, & hanc benevolentiam compensare studebo. * - - cito vade, & redi. *Fil.* sed interim Pater cura, suspensus ne publice maneas cum asininis auribus. *Philip.* certe periculum in

* Chremes tacite loquendo Dorylæ, illum dimittit.

in mora. *App.* si periculum in mora, adsum ego, adest Dominus scriba, adest denique Dominus Baro. Nos duo ferre possumus sententiam, quam filius illustris Parentis Nomine poterit approbare. *Scrib.* recte dicis. Authoritas nostra in casu hoc sufficit, & illustris etiam Toparcha meæ prudentiæ solet committere causas similes. *Philip.* Causas similes? asininas nempe. *Scrib.* - - sed ut juxta leges, & jura numero sexto procedamus, audiatur & altera pars. Pictorem advoca apparitor. *App.* an non forum adibimus, ut habeamus visum repertum? - - hoc post latam sententiam facimus.

Scena Secunda.

Personæ, quæ priu, excepto Doryla, & apparitore.

Scrib. Sed quomodo satisfieri tibi petis, si pictor reus convincatur? an mulctam petis pecuniariam? *Fil.* ita Pater; vel denique pete, ut pictor non tuam tantum imaginem jam depictam tibi cedat, sed omnes majorum nostrorum fumosas imagines renovet, & gratis omnes. *Philip.* Ut omnibus his etiam aures asininas appingat. *Baro.* an tot majores numeratis, & fumosas avorum ceras? *Fil.* utique avus meus fuit vir fumosus, quia caminis purgandis assuetus. *Scrib.* & unde prosapia vestra, ex qua Patria? *Chrem.* ex sabaudia. *Scrib.* ergo italus es tu? *Baro.* talem te

* abiit apparitor.

te probat etiam oris sonus. *Chrem.* protestor, non itali, sed sabaudi fuere omnes majores mei. *Fil.* Pater meus mallet esse Saracenus, quam italus.

Scena Tertia.

Accedit redux Dorylas.

Doryl. En here! quas petiisti prius, merces selectissimas. *Chrem.* Illustris Domine, liceat tibi offerre aliquam dulcedinem, galli dicunt une douceur. Est dimidium Pondo prunorum. *Baro.* Grates tibi pro hac dulcedine. Pruna, nisi sint recentia, non admodum amo. *Chrem.* Placeat tantum gustare, & hæc, licet arida, sunt sapidissima, etiam saccharo, uti vides, condita. - - tibi strenue Domine scriba offerre liceat hunc fasciculum calamorum, recipe. *Scrib.* Iudex sum hodie, nec ex eorum numero, qui manus sibi patiuntur illiniri his muneribus. *Philip.* his muneribus credo. Sed - - *Chr.* fistulam hanc serva Doryla, & apparitori, dum redibit, offer. *Fil.* Nimium liberalis es hodie Pater.

Scena Quarta.

Accedunt Apparitor, Apellinus.

Apparit. Ingredere, & ad tribunal novis Iudicibus te siste. *Apel.* ignoscite, si Parens ipse non appareat, morbo impeditur. *Scrib.* quo morbo? an capitis dolore? hoc enim & ego laboro sæpius, si noctem integram scibendo ex-

traham, & atramentarium non unum subin evacuem. *Philp.* Bibendo volebat dicere. *Apel.* Catharrus nescio quis subitus illum oppressit, & linguæ usum ademit. *Apparit.* videtur mihi legitima hæc excusatio. Quid enim in tribunali compareat, qui loqui non potest? *Baro.* Tu ergo pro Patre advocatum ages, dum ego pro Domino Parente meo Judicem ago. Primùm tamen quæstionem proponet Dominus scriba. *Scrib.* ut ordine procedamus in hoc processu criminali: ostende sis, quam tecum habes effigiem. *Apel.* si placet, spectate. *Chrem.* vah probrosa effigies! *Scrib.* artificiosa tamen manus est, & penicillum nunquid italicum, vel belgicum? - - nosco - - - placeat & Domino Baroni inspicere. *Baro.* formosæ sunt hæ auriculæ, ad vivum expressæ. *Apparit.* Cedite & mihi picturam ad lapidem lydium examinandam. *Scrib.* dixi artificiosa est imago, sed etiam malitiosa. Iam responde in forma, & ad ea, quæ ex juris formula interrogabo. Reliqui omnes nisi interrogentur, altum teneant silentium excepto me, & apparitore, & Domino Barone. - Hanc Pater tuus publice suspendit? *Baro.* & hominem honestissimum urbi toti irridendum exposuit? *Apel.* nullum honestum hominem in hac effigie irridendum parens exposuit. *Baro.* præsentem hunc urbis nostræ civem & mercatorem negas esse honestum hominem? *Apel.* pace mea poterit honestissimus esse, quantum sabaudus potest. Sed non est hæc effigies hujus hominis, ut ipse asseruit, dissimillima est,

nec

nec ulla linea oris sui expressa, ne Diabolus quidem Chremetem in hac effigie agnosceret. Nonne hæc ipse prius affirmasti, & hinc acceptare, & solvere, quam tamen perfici iusseras, imaginem negasti? nunquid testes etiam Filium, & hunc servum tuum appellasti? *Doryl.* testis quidem fui, sed jussus loqui ad mentem Domini. *Apparit.* Sile tu, donec appelleris à Judice. *Baro.* tu ipsus loquere. *Chrem.* S. *Baro.* ita loquere, modo ex jure licet. *Apparit.* etiam per me licet. *Chrem.* est similis, & dissimilis. *Scrib.* & quomodo hoc? *Baro.* mihi videtur prototypo suo simillima. *Apparit.* & talem urbs tota agnoscit, & inde tibi illudit. *Apel.* si similis non est, nec agnoscenda pro tua effigie; quid ergo factam tibi injuriam quereris? si simillima est, & ritè perfecta, ergo quam perfici ociùs jusseras, acceptare debebas, & solvere. *Scrib.* Stringis potenter adversarium argumento cornuto. *Baro.* qui perfici jussit opus, ut semper audivi, illud debet solvere perfectum, hic mutuus est contractus. *Scrib.* ita clarissimè jus docet in trato de sponsalibus, in quo nuper legi casum huic simillimum. *Apparit.* Teneris utique, teneris acceptare, & solvere, si rite pictam, & prototypo similem fateris. *Chrem.* ergo iterum dico, non est mea effigies, est mihi dissimillima, melius, quidquid homines dicant, utique melius me ipsum novi, quam omnes alii. Non est mea effigies, nullo modo. *Apell.* hinc ergo tollam, & publice suspendam hanc effigiem, nec tu conqueri ultra poteris, nec


quis-

quisquam alius, si imaginem ignoti hominis quomodocunque publice exponamus. *Baro.* quia nemini fit injuria. *Apparit.* ego, quantacunque sit authoritas mea, prohibere non possum. *Scrib.* nec ego salva conscientia. *Baro.* vestrum nomine Patris mei judicium approbo. *Fil.* Ah Pater! tantum à te probrum amove, nec novo urbis Ludibrio te patere exponi; redime potius imaginem quocunque pretio, ut hominum oculis submoveatur. *Chrem.* ergo septem florenos perdam pro unica pictura? *Fil.* pro fama tua. *Baro.* an septem tantum florenos expetit Parens tuus pro hac effigie? *Scrib.* leve hoc nimis pretium pro penicillo italico. *Apparit.* ego certe non pingerem pro septem florenis. *Baro.* est Domino Parenti meo in atrio imago penicillo belgico expressa, quam non venderet pro centenis aliquot florenis, etsi vetulam tantum deformem repræsentet. *Apel.* audis hæc? *Chrem.* Cede ergo effigiem, solvam. *Apel.* præsenti ære exsolves, prius non cedo, sed pendebit in publico hæc effigies, donec præsente illam pecunia redemeris. *Chrem.* tantum præsentis æris mihi plane non est. *Apparit.* Sine multa pecunia ad judicem appellare audes? non scis stylum curiæ? *Chrem.* Doryla! da mutuos mihi septem florenos. *Doryl.* nec septem Denarii mihi sunt. *Chrem.* ergo tu Domine apparitor pro me interim solve; Filium meum oppignoro tibi. *Apparit.* non indigeo vivo, & voraci pignore, nimios jam pueros domi alo. *Chrem.* Ergo tu Domine scriba, vel

vel Domine Baro. *Scrib.* pecuniæ nostræ non sunt pro te, sed tuæ pro nobis. *Chrem.* ergo tu Philippule matrem tuam accede, dic rogare me per pristinam inter nos amicitiam, & per novam brevi arctiorem contrahendam, velit mutuos dare septem florenos. *Apel.* siste, non sufficiunt septem floreni solvendæ huic imagini. *Chrem.* quid? non sufficiunt? tamen prius plures non petiisti? *Apel.* pro priore effigie plures non petii, sed pro appictis de novo auriculis, quæ multo & improbo labore steterunt parenti meo. *Baro.* Sunt eleganter pictæ, & capiti tuo aptatæ. *Scrib.* præsertim umbra lævæ auriculæ. Quam ex arte, & ad vivum expressa! *Apel.* Pro hoc ergo novo labore præter septem florenos parens exigit duos thaleros imperiales. *Chrem.* novum & totum asinum etiam me majorem non emerem duobus imperialibus. Non, non solvo auriculas. *Apel.* Ergo imaginem mecum refero, & iterum in foro publicè suspendo. *Chr.* suspende, suspende, quantum velis. Non est effigies mea. Non solvo. *Philip.* Tamen cives omnes dicunt, esse vivam imaginem tuam. Idem & mihi videtur, præsertim modo post additas auriculas videtur simillima. *Fil.* Pater! nisi imaginem redimas, ut publico moveatur, non amplius meum te Patrem agnoscam. Nolo Patrem habere asinum, aut qui talis ab urbe tota proclamatur. *Chrem.* exspecta igitur. Cede imaginem. *Apel.* Non cedo, nisi pro ære præsenti. *Chrem.* solvam, ubi præsentes erunt pecuniæ. Fili! tabulam hanc Domum defer.

defer. *Fil.* An vero talem, qualis eſt appendes domi inter majores noſtres? *Chrem.* non, non, delendæ prius auriculæ. Dic Patri deleat. *Apel.* Faciet hoc, ſed pro novo labore iterum exiget duos imperiales. *Chrem.* pro delendis aſini auriculis duos imperiales? *Apparit.* pictores nihil faciunt gratis. *Philip.* uti vos mercatores nil gratis datis. *Chrem.* ô miſeria! quo trahis me - - ſit. Deleat cito has aures parens tuus, tum ad me relatam effigiem ſolvam. Vos Domini valete. *Apparit.* exſpecta ſis bone vir. *Scrib.* ſatisfeciſti pictori, ſatisfacias modo & judicibus & pro hoc conſeſſu, & cauſa graviſſima attente audita, ſapienter disjudicata debitum, aut ſaltem conſuetum perſolve ſtipendium. *Baro.* Ego quidem pro labore nihil exigo. *Scrib.* Etiam ego nihil exigam; honorarium tamen, & gratuitum munus dabis; Domino Baroni tres aureos, ego duobus contentus ero. *Apparit.* & ego unico. *Chrem.* Coſpeto di baggo! quid? ſex aureos pro honorario, & ſeptem thaleros imperiales cum dimidio pro imagine? - - *ad Fil.* ocius Filium pictoris revoca. Sex aureos! meam teſtor animam. *Scrib.* Quid? non es contentus, dum tibi ultro debitum remittimus ſtipendium? *Chrem.* ſex aureos pro Honorario? *Apel.* quid vult Dominus chremes? *Chr.* tuam tibi imaginem retineas volo, ego meos mihi retineo thaleros. Effigies non eſt mea, ſuſpende eam pace mea, ubi volueris. Pro vobis quoque mihi non ſunt aurei. Bene valete. *Baro.* Quid? tu nos ludere paras & inani-

inanibus nugis circumvenire? *Scrib.* hodie adhuc ante noctem pictori petitos thaleros, & nobis aureos ſolves, ſecus apparitor turri te includet, donec ſolveris noviſſimum quadrantem. *Chrem.* ubi, quæſo tot aureos, & thaleros corradam? *Scrib.* videris ipſe. *Fil.* en Pater! fructum tuæ imaginis! *Chrem.* tune etiam inſultare Patri? *Baro.* pro ſalutari vero pœnitentia, & in pœnam ſordidæ tuæ avaritiæ effigiem hanc cum aſininis auribus inter majores tuos ad perpetuam infamiam ſuſpendes volo, quam tamen per ſummam gratiam decem aureis redimere poteris. *Chrem.* ita ita ſuſpendite, non obſto. En Regulam. *Scrib.* apparitor! ſuſpende ſine mora effigiem. *Fil.* ah Pater! ne patere tantam tibi, & filio, totique familiæ infamiam inuri. *Philip.* Quam nulla certe ætas obliterabit. *Chrem.* ſilete. Suſpendatur imago. Non mihi ſed judicibus æterno erit dedecori. Apeline! ocius ſcutum depinge cum hac epigraphe. *En ſymbolum iniquorum judicum.* *Baro.* Apeline! ocius ſcutum depinge magnis his characteribus: *en ſymbolum ſordidæ Chremetis avaritiæ.*



POE-

POENA NEGLECTÆ EDUCATIONIS.

Argumentum

Suppeditavit nobis civium non nemo, qui filium suum, etsi pessimæ vitæ puerum, tam cæco amore deperiît, ut, quidquid ille petulanter egisset, non modò stolidè approbaret Pater, sed & hunc solum in oppido suo probe, piéque educatum affirmaret. At ubi se demum turpissime delusum vidit, aliter sentire doctus est.

Scena Figitur in urbe, & domo civis.

Personæ.

Hircasius, Pater.
Luridastrus, Hircasii filius, studiosus.
Edmundus, Consulis filius.
Bertrandus, Luridastri Condiscipulus, } Opulenti cujusdam civis filii.
Vitulinus, } Opulenti cujusdam civis filii.
Scribacius.
Aleander, *Tabaccalus*, *Potander*, *Pistorellus*, } Luridastri Condiscipuli & Socii.
Faber, Lignarius.
Liphippulus, filius Propolæ.
Capreolus, Hircasii tyro.
Cellarius.
Apparitores.

Actus Primus.

Scena Prima.

Hircasius sartor. Capreolus, ejus tyro.*

Hircas. Quid ibi hæres Capreole? me sequere. *Capr.* Equitem hunc consideravi. *Hircas.* Nunquid mirabilis equus? an non præstat tibi, sartorum scamnis insidere, quàm tali asino? *Capr.* immites tamen sunt, & nimis rigidi officiales bellici, qui in suos milites ità sæviunt. *Hirc.* Imò id ferè solum est, quod mihi probatur in officialibus bellicis, quòd nempe suorum militum insolentiam tam severâ sub disciplina contineant, & nihil impunitum patiantur. Utinam Capreole, utinam parentes, & patresfamilias in urbe nostra æquè severè agerent in suos filios, præsertím studiosos, non videremus pueritiam tam effrænem, tam corruptam moribus, ùt modò. *Capr.* Approbares ergo, si parentes filios suos etiam studiosos asinis imponerent? *Hirc.* Non filios tantùm, sed ipsos etiam parentes, & patresfamilias, qui suorum curam non habent, hac pœnâ affici oporteret. *Capr.* Parentes? cives? asinis? *Hirc.* Ità sanè meliùs, quàm milites merentur. Et brevì Capreole, plures in urbe nostra cernes asinos, huic similes. *Capr.* Quomodo hoc? forsan equorum locò plures introducentur asini, ùt in vicina urbe factum audio? *Hirc.* Non, non hoc.

* Scena figitur in platea.

hoc. - - En Capreole, hac occaſione auribus tuis arcanum aliquod committo. Libellum ſupplicem herì conſuli obtuli, quô ardentiſſimè rogavi, ut & ipſe pro ſua ſapientia ad exemplum militum in urbe noſtra aſinum vel aſino militari ſimilem, vel alium quemcunque curet erigi, cui parentes, & patresfamilias in educatione negligentes cum filiis, & ſubditis imponerentur. Comprobabit, ſpero, ſenatus conſilium meum in hodierno, quem celebrant, conventu. *Capr.* Tene aliquid effecturum ſperas? *Hirc.* Dubitas? etſi hodie fors conſilium meum eluderent aliqui, qui prudentiæ meæ hanc gloriam invident, id tamen certè efficiam proximè, ſi, quod ſpéro, ipſe in ſenatum adlectus fuero, primóque in ſenatorum conſeſſu iterum, iterúmque proponam, ut coram quavis domo talis equus ligneus erigatur. *Capr.* Ergo etiam coram noſtra? *Hirc.* Sola domus mea non indiget. Filium quippe educavi piiſſimum. Solus hic eſt in noſtra urbe, qui literis vacat, qui pietati, qui obedientiæ ſtudet: qui certè cum tempore aut pius Religioſus, aut doctus in urbe noſtra ſenator erit. *Capr.* Certè patri diſſimilis non eſt filius tuus Luridaſtus, & nullus patrum educavit filium, ſui magis ſimilem, quàm tu. Quod caper inter oves, hoc tuus filius inter ſtudioſos huiates. *Hirc.* Ità eſt, ad pietatem, & literas adeò pronus eſt, ut fræno, non calcaribus indigeat.

Scena

Scena Secunda.

Accedit Vitulinus, Lanionis filius.

Vitul. Opportunè mihi advenis Magiſter Hircaſi. *Hirc.* Quid me vis Vituline? *Vitul.* Acus tua expetitur in domo noſtra, ut fratri meo Bertrando novum conficiat pallium. *Hirc.* Novum pallium? meretur? *Vitul.* Enim verò, quia eſt probus, & diligens ſtudioſus, & hinc pater nihil illi in rebus omnibus vult deeſſe, ſed liberalis ei ſuppeditat, quæ exoptat. *Hirc.* O ſtolidum parentem! Capreole, hic primus eſt parens, qui inter equites illos, de quibus nos priùs, cum filio ſuo meretur ſtatui. *Vitul.* Quales inter equites? *Capr.* Priùs vidimus militem altiſſimo inſidentem equo. *Hirc.* De his plura proximè. Nunc autem, an cupit parens tuus, ut pannum apud mercatorem pro pallio coëmam, & cujus coloris? *Vitul.* Jam omnia ipſa coëmit mater, & pannum hollandicum, & argenteas fimbrias. Hirc. Pro puero adeò petulante? *Vitul.* Quid petulantiæ notâſti in fratre meo? *Hirc.* Plurima, plurima, quæ parens tuus notare debuiſſet, ſed quia amore cæcus eſt, ego dicam, tu dein parenti, quæ hodie primùm ante horam notavi, cùm ſtudioſi ſacrum accederent. *Vitul.* Quid ergo tunc frater? *Hirc.* Primò coram nullo prætereunte, etiam me, detexit pileum. *Vitul.* Etiam coram Capreolo non? *Capr.* Neque. *Vitul.* Grave crimen! *Hirc.* 2dò continuò cum ſocio gar-

rientem vidi, usque ad templi januam. Quid sub re divina fecerit, non vidi: sed divinare facilè potero. Refer hæc, refer parenti tuo. *Vitul.* Et quid si referam? ridebit me, & te. *Hirc.* Ridebit? O meretur sanè, -- meretur -- & spero adhuc hodie videre. *Vitul.* Quid? *Hirc.* Capreole, sequere Vitulinum, & pannum pro pallio defer in ædes meas. *Vitul.* Non. Illud statim conficies in domo nostra? *Capr.* Omninò Magister, meliùs est laborare in domo lanionum, quàm in nostra. Apponuntur subin farcimina. *Vitul.* Hæc apponuntur & hodie. *Hirc.* Nimiis hodie laboribûs jam domi occupor, cras autem statim conficiendo pallio manus admovebo, licèt ægrè pro tali puero. *Vitul.* Si ægrè, mox alium sartorem advocabo. *Hirc.* Non, non. Abi Capreole, pannum pro pallio ad me defer. Interea caligas has mihi trade reficiendas.

Scena Tertia.

Vitulinus. Capreolus.

Vitul. Est mirabilis homo Magister tuus Hircasius. Omnes studiosos petulantiæ, parentes omnes neglectæ disciplinæ arguit, & tamen filium ipse habet Luridastrum, lurconem luridissimum, cui similem gymnasium non habet. *Hirc.* Magister tamen meus longè alia prædicat de suo filio, nempe morum probitate in toto gymnasio studiosum non esse similem Luridastro suo, sicut & in urbe nemi-

neminem civium sibi parem in educandis liberis, & hinc porrectò libellô supplici consulem urget, urgebitque fortiùs, quando senator erit, ut sicut pro milite ad prætoriam, ità pro civibus ad curiam erigatur asinus ligneus, cui imponantur parentes, filiis suis nimiùm blandientes. *Vitul.* Hircasius hæc, quando senator erit? necdum, Deo sint laudes, ad tantam inopiam redacta est urbs nostra.

Scena Quarta.

Accedit Bertrandus, Vitulini frater. Edmundus, filius Consulis.

Edm. Capreole! Capreole! an necdum Hircasii manus vestem meam confecit? *Capr.* Necdum. *Edm.* Num parat illudere mihi consulis filio? certè jam ante octiduum absolvendam promiserat. *Capr.* Multa Magister meus promittit, ut labor illi committatur, sed deinde - - nisi quotidie urgeas, diu exspectare poteris. *Edm.* Urgebo quàm maximè, & adhuc hodie. *Bertr.* Et meum an conficiet pallium in domo nostra? *Vitul.* laborare renuit in domo nostra, sed per Capreolum suam in domum pannum deportari petiît. *Edm.* Lætare Bertrande, secùs novîs identidem adversus te querelîs, quæ mira est hominis indoles, patris tui aures implere non cessaret. *Vitul.* Omninò paulò antè novum in te crimen observavit Hircasius. *Bertr.* Quid ergo de me caper? *Vitul.* Quòd nempe hodie, cùm Missam accederes, prætereunti nemini

 pileum

pileum detexeris. *Vitul.* Quòd cum ſocio ad uſque templi januam garriveris, &, ùt divinat, etiam ſub ſacro. *Bertr.* Divinat tantùm. *Capr.* Et hæc me parenti tuo deferre jubet. *Bertr.* Defer Capreole, defer parenti meo. Sed & hæc Hircaſio tuo indica, filium ipſius Luridaſtrum ne quidem ſacro adfuiſſe hodie. *Edm.* Et ſi compareat, quales libros ſub ſacro legit? mecum hìc habeo, quem nuper in templo ex oblivione à Luridaſtro relictum inveni librum. *Vitul.* Qualis hic liber? fors libellus precatorius, aut leges, quas dicunt Marianas? *Edm.* lege tantùm titulum. *Bertr.* * *Induſtriæ carthuſchianæ, id eſt, vita Carthuſchii, & ſociorum aliquot.* - - Nempe Carthuſchius eſt ille in gallia nebulo, qui furum integram ſocietatem erexit. *Edm.* Hunc deferas Magiſtro tuo. *Capr.* Deferam, ſed non credetur. *Bertr.* Interroget totam ſcholam, omnes habebit teſtes. *Edm.* Teſtem etiam conſulat hunc ipſum librum, quem reddo. Hircaſio tamen celes velim, quis tibi librum tradiderit. *Vitul.* Interim mecum.

Scena Quinta.

Bertrandus. Edmundus.

Bertr. Certus ſum Edmunde, quoties conficiendo pallio meo acum hodie admovebit Hircaſius, toties etiam linguâ me, & parentem meum perforabit; me ùt tali beneficiô indignum, patrem ùt prodigum arguet. *Edm.* Quid

* Legit.

Quid si nôsset etiam liberalitatem novam, quâ pater tibi, & familiaribus tuis lautam à prandio merendam parat, ad quam & me parentis tui veniâ invitaveras? *Bertr.* Rumperetur ex indignatione, credo, vel consulem parentem tuum hac adhuc horâ adiret, ut edictô consularî focum in domo nostra juberet extingui. - - Interim rogo, Edmunde, ut statim post horam primam, vel saltem ante secundam in domo nostra compareas. Nam & reliqui, quos invitavi, condiscipuli, in tempore se adfuturos promiserunt. *Edm.* Adero, ne sis solicitus. An autem multos invitâsti? *Bertr.* tres tantùm præter Scribam cognatum nostrum. *Edm.* An verò hunc venturum putas? *Bertr.* Dubitas? num scriba lautam merendam negliget? *Edm.* Dedignabitur forsan studiosis tantùm gymnasistis comitem se jungere, præsertim cùm ipse, postquam gymnasio nuper valedixit, jam sit quasi Academicus, & ubique gladium ad latus suspensum trahat. *Bertr.* Tam superba Scribillacio non est indoles. In circumstantiis hodiernis adhuc condiscipulus noster haberi cupit. *Edm.* At non etiam invitabis Luridastrum? *Bertr.* Luridastrum? puer tam procax haud convenit ingenuo nostro conventui. Eligat per me puer hic petulans socios sui similes. *Edm.* Sic, facilem posses tibi reddere Hircasium, ne ampliùs te apud patrem argueret. Imò probissimum te adolescentem diceret, si illius filium in familiarem amicitiam admitteres. *Bertr.* Quidquid

Hircasius de me blaterat, tam parùm curo, quàm si caper clamet gme, gme. - - At ecce! prodit cum egregio suo sodalitio. Abeamus.

Scena Sexta.

Accedunt Luridastrus, Hircasii filius. Aleander. Tabaccarius. Pistorellus. Potander, ejus socii.

Tabacc Bertrande! Bertrande! *Lurid.* Quid hunc advocas? *Tabacc.* Bertrande, ad momentum subsiste, habeo, quæ tibi dicam. *Bertr.* Quæ illa? sed paucis expedi. *Tabacc.* Non placet odor brasilus? ubi pyxis tua? implebo. *Bertr.* Tabacco non assuevi. Nec velim assuescere. Dic, quid me velis. *Tabacc.* Ne superbus dedigneris alloquium condiscipuli. Hodiernam nôsti diem recreationi destinatam, adeóque hilariter transigendam. Ego verò occasionem scio opportunissimam, quâ mirîs modîs recreare te possis, in conventu nostro. *Bertr.* Hac recreatione tu per me fruaris licet. Mihi de alia opportuna satis provisum. Vale.

Scena Septima.

Luridastrus unà cum sociis.

Lurid. Quid tu cum Bertrando? an ad nostrum fortè conventum invitare voluisti? *Tabacc.* fateor, libenter illum in nostram sodalitatem pertraherem; esset enim cætui nostro uti-

utilissimus, & simul benefactor. *Aleand.* Bertrandus? *Tabacc.* Natus patre opulentissimô pecuniîs, quibûs abundat semper, conventûs nostrì inopiam posset sublevare. Præterea Lanionis est filius; posset facillimè in domo sua colligere sparsa farcimina. *Pot.* Posset, sed non faceret. Novi hominem, est teneræ nimis conscientiæ, plus quam ego. *Lurid.* Non, non quadrant Bertrandi mores moribus nostris. Dissolveret citùs conventum nostrum, quàm stabiliret. *Pot.* Nos solos vocationis gratia optimè conjunxit. *Lurid.* Deinde parens meus non probaret cum Bertrando societatem meam; omnem, quam de me æstimationem concepit, exueret, quippe nequissimum puerum hunc judicat. *Tabacc.* An verò tuam nobiscum initam amicitiam parens probat? *Aleand.* An nos probos credit? *Lurid.* Nondum omnino probos, nam talem me solum æstimat, sed tamen probitatis capaces, & mea societate, & exemplo ad morum probitatem deducendos. Ut tales enim patri meo vos descripsi. *Pot.* Enimverò capaces sumus, nunquid, qui mores, & exempla tua strenuè sequamur? *Aleand.* Et quas novas hodie ad omnem virtutem instructiones dabis, Magister morum? *Lur.* Post prandium in hodierna schola, hoc est, in taberna novas vobis instructiones tradam; ad virtutes varias, præsertim, sobrietatis in potando, fidelitatis in ludendo. *Tabacc.* In qua autem taberna scholam hodie aperiemus? *Aleand.* Quæris? in ordinaria, ad porcum

nigrum. *Lur.* Hanc hodie minùs tutam credo. Nam gymnaſiarcha moleſtiſſimo me examine de hac taberna, aliiſque rebus plurimis detinuir. *Pot.* Sed benè reſpondiſti in hoc examine? *Lur.* Aſcensûs notam promerui, & quidem A latiniſſimum. Minitatus eſt mihi excluſionem, & ipſam domum caſtigatoriam, ſed rideo has minas. Etiam vos, ſi hodie ad examina vocemini, nil fateamini. *Piſt.* Prima poëſeos fundamenta ſatis egregiè, ùt puto, hauſi: ut aptè, & ad rem fingere didicerim. *Lur.* Ut autem magìs tuti ſimus, in tutiori loco conveniemus, nempe in altera nota caupona, quam dicunt ad ſeptem peccata capitalia. *Pot.* Omninò hic locus eſt tutiſſimus pro ſtudioſis; nam, quod in aliis fieri amat hoſpitiis, hìc neutiquam timendum, ut ipſi domeſtici nos prodant iis, quales non decet. *Aleand.* Unicum tamen, illúdque maximum hac in caupona mihi diſplicet, quòd ſymbolam ſtatim præſenti ære ſolvendam exigant, nec fidem habeant diuturniorem tam honeſtis hominibus, quales nos ſumus. *Pot.* Hoc ſanè & me ſolicitum facit; nec enim obolus eſt in marſupio, quem poſt prandium expendam. *Tabacc.* Nec mihi ſuperſunt, niſi tres crucigeri. *Lur.* O ſtupores, ô ſtolones! nunquid monui ſæpiùs, ut, quas parentes negant, pecunias ipſis clam ſurripiatis? Et id quidem bonâ conſcientiâ. Sumus enim hæredes legitimi, & parentum bona etiam ad filios ſpectant. *Pot.* Tentavi, ſed nulla occaſio ſe obtulit. *Aleand.* Nec mihi. Nam

parens

parens mea arctè nimis custodit pecunias, cistæ ferreæ inclusas. *Pot.* Domi meæ non multa invenio, quæ possem surripere. *Lur.* Si pecunias non potuistis subducere, saltem alterum, quod dedi, documentum observate, & ex domestica suppellectile, quidquid venit obvium, subducite, & divendite. Vel denique etiam comestibilia nostris hodie usibus servitura. *Tabacc.* Hoc benè. Ego patri meo mercatori subducam Tabaccum. *Aleand.* Vide, potiùs subducas novas chartas lusorias. *Lur.* Et quid Potander Pistoris filius? *Pot.* panes ego adhuc calidos ad conventum afferam. *Aleand.* Ego ex Matris corte pinguem anserem evocabo, in taberna dein assandum. *Tabacc* Quid verò Luridastrus? *Lur.* de me ne sitis soliciti. In domo sartoris nunquam deest furti occasio, si non patri, saltem exemplo patris. Aliquot fimbrias argenteas, aliáque ex pretiosiore panno frustula dexterrimè subtraham, quibus venditis nigram cerevisiam solvere poterimus. Agite ergò rem strenuè, & hodie post prandium horâ prima ad scholas, hoc est, tabernam proximam convenite: qui seriùs venerit, graviter luet tarditatem suam, & tu quidem Tabaccale per horam integram Tabacco abstinebis, tu Aleander toto tempore ab alearum lusu, tu denique Potander per horam integram nobis potum infundes, quin ipsus interea vel guttulam hauseris. Jam valete, *Pot.* tam graves Pœnitentiæ nos omnes ad scho-

ſcholam compellent. *Aleand.* Haud memini, me ſeriùs veniſſe unquam ad conventus ſimiles.

Actus Secundus.

Scena Prima.

Hircaſius. Capreolus. *

Capr. Hìc ecce pannum pro Bertrandi pallio. *Hirc.* - - - tam elegans, tam pretioſus pannus pro lanionis filio, & puero ſordidiſſimo? ô ſtolidum parentem! an verò detuliſti ipſius patri, quæ priùs jjuſſeram de Bertrandi petulantia? *Capr.* Detuli fideliter omnia, de garritu uſque ad templi aditum, *Hirc.* & quid ad hæc Lanio? *Capr.* Riſit. *Hirc.* Riſit? ô patrem! ô patrem! ſi talis non meretur equitare cum ſuo filio in equo ligneo, quis merebitur? *Capr.* Bertrandus etiam addidit quædam tibi nuntianda de filii tui ſocordia. *Hirc.* Socordia? in quo ille filium meum ſocordiæ arguere? *Capr.* Quòd ſacro omnino non interfuerit hodie, imò quòd ſingulis ſeptimanis minimum ter ſoleat deeſſe. *Hirc.* Mendacium hoc eſt craſſiſſimum, quod mera invidia Bertrando ſuggeſſit. Luridaſtrus meus certè prandio carere mallet, ſi alia audiendi ſacri occaſio non eſſet. *Capr.* Teſtes hujus omnes condiſcipulos aſſeruit. Librum inſuper hunc teſtem tibi deferendum tradidit, quem filius tuus in templo legere ſolet. *Hirc.* Quid teſtabitur hic liber. Cart. cartuce.

Scena

* Scena figitur in Domo Sartoris.

Scena Secunda.

Edmundus, *Hircasius*, *Capreolus*.

Edm. Bona dies Magister Hircasi. An confecta est vestis mea? *Hirc.* Cras, cras, summô manè, antequam scholam adibis, confectam afferet Capreolus. Mone me crastinâ puer, si fortè oblitus fuero. *Edm.* Summô manè non indigeo. Non enim induam novam hanc vestem, nisi die proxima veneris, Natali domini parentis mei. *Hirc.* Incidit in proximam diem veneris natalis dies domini consulis nostri? oportebit & me hanc diem humillimè, & facundissimè gratulari. Mone me crastina puer, ne in leges humanitatis peccem. *Capr.* Monebo, nisi & ipsus obliviscar. *Hirc.* Si primùm die veneris Edmundus veste indiget, non opus est Capreole, ut cras me moneas de conficienda veste. *Edm.* Imò moneas tamen. Jam ante octiduum promiseras, & tamen necdum manum admovisti. Certè si die veneris summô manè ex integro confectam non attuleris, urgebo D. parentem consulem, ut te turri civicæ per triduum includat, solô pane, & aquâ reficiendum. *Capr.* Vel per triduum jubeat equitare. *Edm.* Equitare? *Hirc.* à propos edic, an nihil ex domino consule parente tuo audiisti de consilio quodam toti urbi saluberrimo, à cive boni publici studiosissimo ingeniosè excogitato? *Edm.* De exstruendo forsan asino? *Hirc.* De hoc ipsissimo. *Edm.* Audivi

divi aliqua, ſed quis civis ille, qui tale dictavit conſilium? *Hirc.* Fortè hinc non procul abeſt. *Edm.* Esne tu ipſe? *Hirc.* forte. Quid autem dixit D. parens de hoc conſilio? *Edm.* Dixit prorſus admirabile, & ſtupore dignum. *Hirc.* Penetravit hic ingenii ſui acu hoc publicum urbis bonum. *Capr.* An ſartor fuit? *Hirc.* Neſcis autem, an illud hodie in ſenatu Magiſtratui prælegerit, communi plauſu excipiendum? *Edm.* Haud dubiè. Juſtô longiùs hodie ſenatorum conſeſſus protrahitur; necdum è ſenatu rediit pater. *Hirc.* Omninò.

Scena Tertia.

Edmundus. Hircaſius. Capreolus. Luridaſtrus.

Hirc. Opportunus ades fili. An hodie jam interfuiſti ſacro? *Lur.* Edmundus me prodiderit. - - Fatebor, ſacro ordinario non interfui hodie. *Hirc.* Et cur non? *Lur.* De hoc me cras jam excuſabo in ſchola. *Hirc.* Et quam excuſationem afferes? *Capr.* Nox jam ſuggeret mendacium. *Lur.* Excuſationem legitimam. Sacerdotum non nemo, dum conſuetam adire Miſſam cogitabam, ex itinere me rogaverat, ut illi ad aras ſervirem in ſacello ſuo domeſtico. *Hirc.* Legitima excuſatio pro die hodierna. Sed nunquid ſæpiùs intra hebdomadem aberas à ſacro ordinario? *Lur.* hæc ipſa eſt abſentiæ meæ cauſa. Et vel in ſacello domeſtico, vel in vicino mo-

naſterio

nasterio Carthusiensi ad aras servii. Nunquid Edmunde hanc ipsam nuper excusationem Magistro attuli? *Edm.* Allatam audii. *Hirc.* Et hanc nunquid approbavit Magister? *Edm.* Hoc audii, quòd ex te quæsierit, quis fuerit ille Sacerdos, & quale, & ubi hoc sacellum domesticum. Quid responderis, non attendi. Hæc enim ad me nihil. Domum nunc redeo, finito fors senatu domum redierit pater, quid de tuo statutum consilio, explorabo. *Hirc.* Urge, quantum potes, urge zelosissimi civis studium indefessum. *Edm.* Urgebo, ne dubita. Etiam tu non turrim, sed equum conscendes, si vestem meam ad præstitutam diem non confeceris. *Hirc.* Accepto conditionem. *Capr.* Risum certè tenere non possem, si te equitem spectarem.

Scena Quarta.

Hircasius, Luridastrus, Capreolus.

Hirc. Sed adhuc aliquid fili. Quis liber iste, quem in templo legere soles? cart - cartuschiuz. Num tractat fortè de miscendis chartis? *Lur.* Minimè gentium, pater. Liber hic sanctus est. *Hirc.* Liber sanctus, qui docet artem lusoriam? *Lur.* Nescis, pater, me Carthusiani ordinis candidatum esse? & hinc sancti Cartucii, & sociorum vitam summô studiô perlegô, ut præclara illorum exempla, & facta illustria imitari discam. An malè hoc factum? *Hirc.* Imò optime, fili mi, optime. O quàm egregie diluis calumnias,

quas

quas in te ſparſit invidia. Omnem jam ſuſpicionem ſiniſtram depono, & novam de te æſtimationem concipio. *Lur.* An ſiniſtram de me opinionem concipere pater potuiſti? *Hirc.* Non, nunquam concepi, etſi à multis tentatus. - - Ut autem videas pupule mi, chariſſime fili, domine Carthuſiæ candidate, ut videas, quanti æſtimem probitatem tuam, ecce argenteas fimbrias, quæ nuper in domo noſtra remanſerunt ſuperfluæ. *Capr.* Ex veſtibus nempe Domini - - *Hirc.* ſile tu puer, & labora. - - Statim poteris hîs uti, jam ità aptavi. *Lur.* Liberalis es nimiùm. *Capr.* Ex alieno. *Lur.* Patere, exoſculer paternam manum. *Hirc.* Hoc fruſtulum ſerviet pro cingendo pileo. Hoc pro genibus. *Lur.* Iterum exoſculor paternam manum. Hîs tamen ornamentis nolim hodie ſuperbus incedere. Servabo pro ſolenniore die feſta. *Capr.* Vel donec dignus ſis ſodalitatis præfectus. *Hirc.* Hâc certè præfectura dignior eſſes aliis omnibus ſodalibus. *Lur.* Certè etiam illam aſſecutus forem, niſi tantum ſyntaxiſta forem. Cæterùm ambitioſus non ſum. *Hirc.* Benè facis. Humilitas virtus eſt Religioſo, & ordini tam ſevero, quem ambis, maximè neceſſaria. * Ad prandium, ad prandium, jam parata eſt offa. *Capr.* Etiam ego ſum paratus. *Hirc.* Priùs tamen Capreole ad cauponam. Inde afferas menſuram cereviſiæ pro me & filio. *Capr.* Et pro me? *Hirc.* pro te aquam.

Actus

* Intra Scenam.

Actus Tertius.

Scena Prima.

Liphippulus. Betrandus.

Liph. *. Alls alls guete wahr, schöne riehmlå, schöne porten, kåsts ey, gibts ganz wohl feil. *Bert.* Quid clamoris tollis per plateas puer? *Lipb.* En fimbrias, quas & pileo & pedibus applices. Eme, dabo pretiô sanè levissimo. *Bert.* Emerem, nisi furtiva subductas manu crederem. Unde tu has puer? *Lipb.* Non nosti patrem meum? notam hic loci mercaturam exercet; quisquis nempe habet, quod vendat, seu vestes, seu alias res laceras, & detritas, seu superfluas, ad patrem meum defert. *Bert.* Et pater tuus emit omnia? *Liph.* Non emit ipse, sed per urbem circumferens emptores inquirit. Pretium pro divenditis reddit fideliter suis dominis, aliquo tamen pretio retento sibi pro labore. *Bert.* Novi hominem. Nonne pater tuus Liphipplus dicitur, quem judæum christianum nominant,. & baptizatum? *Lipb.* Est ipsissimus. *Bert.* Quod ergo pretium exposcis pro his mercibus? *Liph.* Quod tu ponis pretium? *Bert.* Lanionis ego sum Filius, qui merces ejusmodi æstimare nunquam didici. Et ecce opportune.

Scena

* Clamat.

Scena Secunda.

Bert. Liph. Hirc. Capr.

Cap. Magister hircasi, tu rerum peritus es, quanti æstimas has merces? *Hirc.* Quis has tibi fimbrias? *Bert* puer hic venales mihi proponit. *Hirc.* Et à quo tu has? *Liph.* A patre meo, quem nosti, Liphippio. *Hirc.* Et à quo pater tuus accepit? *Liph.* Id equidem ignoro, has solum jussit me pater per urbem circumferre, & emptores inquirere. Plura nec velim, nec ausim interrogare à patre. *Hirc.* Capreole, inspice hæc, quid censes? *Capr.* Puto, quòd - - *Hirc.* Et quanti vendere hæc jussit pater tuus? *Liph.* Jussit me petere florenos duos. Pro uno tamen possum empturo cedere. *Hirc.* Bene. Emam ego. Capreole, non habes, quem mihi interea mutuum des florenum? *Capr.* Per amorem Dei! unde ego florenum? quoad vivo, nunquam ultra duos crucigeros in meis loculis numeravi. *Hirc.* Hinc tu Liphippule, mecum in domum meam. Exsolvam petitum pretium. *Bert.* Protestor. Prior ego tempore, prior jure oblata emam. En florenum præsentem puer. *Hirc.* Quin mihi cede. Addam floreno decem crucigeros. *Bert.* Addam ego viginti. *Hirc.* Ego triginta. *Bert.* En thalerum imperialem integrum præsentem. *Liph.* Et tu aureum hungaricum? *Bert.* Quomodo aureum dabit, qui tota in domo sua florenum vix invenit. - - - Mihi cede. *Liph.* habe. - - Surrexi hodie bonis avibus. Quam gratus parenti veniam!

Scena

Scena Tertia.

Hirc. Capr.

Hirc. Imperialem integrum ſtatim Bertrandus? improbiſſimum puerum, ſi patri clam hæc ſubduxit; ſtolidiſſimum patrem, ſi tot pecunias tradat puero. *Capr.* Digni nunquid pater & filius, qui equitent? *Hirc.* Digniſſimi omnino Sed num conſtat tibi, Capreole, quæ me cauſa impulerit, has merces ut emerem? *Capr.* Nempe ut majore iterum pretio divendas. *Hirc.* Non ſola lucri cauſa, ſed aliud me impulit. Num bene tuis conſideraſti oculis oblatas à Liphippulo merces? *Capr.* Conſideravi, & quod jam prius volebam dicere, has ipſas putabam eſſe fimbrias, quas ante prandium Luridaſtro donaveras. *Hirc.* Hoc ipſum mihi perſuaſiſſimum putabam. Sed unde iſta in manus Liphippuli? *Capr.* Dixit utique à manu parentis ſui Liphippii. *Hirc.* Sed unde in manus Liphippii? *Capr.* fors Luridaſtrus Liphippio vendenda attulerit, qui ſæpe ſtudioſorum mos fert. *Hirc.* De omni alio ſtudioſo non dubitarem, ſed de filio meo poſſem hoc non credere, imo nec auſim ſuſpicari. *Capr.* Si de alio ſtudioſo hoc crederes, cur non & de filio tuo? *Hirc.* Quia hic ſolus probus eſt ex omnibus ſtudioſis. - - Sed age, pannum hunc deferas in domum noſtram. Ego Liphippium adeo, ut certiora explorem. - - - - - Jam avidus audiam, quid tandem rei ſubſit. At forte Liphippius non ſincere fatebitur. At ecce! ipſus Luridaſtrus. Hunc prius ſevere examinabo.

Scena Quarta.

Hirc. Lurid.

Hirc. Unde tu modo fili? *Lur.* E domo. *Hirc.* Ornamenta pilei, & argenteas fimbrias, quas prius tibi donavi, cur non induis, dum domo egrederis? *Lur.* Cur induam hodierna die, quæ festa non est? *Hirc.* Num domi ergo caute asservasti? *Lur.* Non nisi festo solennissimo in lucem protrahenda. *Hirc.* Mecum domum redi. Vellem ea adhuc semel videre. *Lur.* Et cur hoc? *Hirc.* certas ob causas. *Lur.* An pœnitet te donasse, & revocabis data? *Hirc.* Non pœnitet, si - - sed certas ob causas vellem videre, & statim modo. *Lur.* statim modo non possum ostendere. *Hirc.* Cur non? *Lur.* Quia modo domi non habeo. *Hirc.* Ubi ergo sunt? venit paulo ante ad me condiscipulorum quidam, cui in crastina, quam syntaxis major dabit, commœdia persona est sustinenda. Hic ubi vidit ornatum pileum, rogavit amicissime, ut pro crastina illi hæc ornamenta commodarem. Negare non volui; nec honeste potui impense roganti. *Hirc.* Ah fili! quid fecisti? quid fecisti? *Lur.* An male hoc factum? charitatis obsequium proximo exhibere? præsertim cum pauci sint in urbe nostra, qui erga Comicos opus charitatis exercent. *Hirc.* Candida, & sincera nimium tibi est indoles, ex qua & reliquorum mores metiris, & sic pessime delusus es. *Lur.* Delusus? in qua re, aut à quo? *Hirc.* Nostine satis studiosum illum, cui dicta dedisti

mu-

mutua? *Lur.* Novi tam bene, quam me ipsum. Adolescens est morum probitate vix me inferior. *Hirc.* Et tamen hic ipse pessimus nequam, & fur est, quæ mutua dederas, hic nequam puer omnia ad Liphippium detulit vendenda. *Lur.* Divendidit? *Hirc.* Ipsus ea modo vidi per puerum Liphippii venalia circumferri, quæ etiam Bertrandus jam emit, & iis, quæ tibi donaveram, pilei ornamentis superbus incedit. *Lur.* Falleris pater. Ornamenta vidisti meis simillima, at non eadem. Cernis utique plures studiosos, & Juniores hic loci opifices pileos suos ejusmodi argenteis exornare. Ex horum numero fors aliquis sitibundus frater sua Liphippio vendenda dederit. *Hirc.* Mihi tamen videbantur hæ fimbriæ, non tantum simillimæ, sed omnino eædem, quæ tuæ. Eadem latitudo, eadem textura, eadem in omnibus forma, ut nec ovum ovo sit similius. *Lur.* Recte. Ovum est per omnia simillimum alteri ovo, & tamen non est idem ovum: sic licet fimbriæ similes aliis, tamen propterea non sunt eædem. *Hirc.* Magno metu, & suspicione me liberas. Jam levior domum redeo. Ut tamen omnino securissimus sim, age fili, studiosum illum accede, explora, an adhuc secum habeat, quæ eidem commodasti. *Lur.* Obsequar, & recta accedam. *Hirc.* Quo alias properabas modo? *Lur.* Cum dies sit recreationis, & tempestas serenior, volui non nihil deambulare, & inter deambulandum historiam ediscere, aut legere quidpiam ex pio hoc libello de vitis Char-

 thusia-

tusianorum. *Hirc.* Hæc industria tua planè nulli alteri studiosorum tecum communis est. attende tamen, ne nimium studium, & continua lectio cerebrum tuum lædant. - - en - condimentum aliquod, quo languidas studiis reficias vires. - - Spira est Butyro, sacharo optimè condita, quales certis tantum diebus à pistore quodam pinsuntur. Ipsemet genium meum defraudavi, ut te Salebusium meum pascerem. *Lur.* Grates paternæ liberalitati. Ubi domum redieris, statim ad me accede. Nigræ cerevisiæ haustu nos refocillabimus. *Lur.* Grates liberalitati tuæ. Sed statui nuper extra prandii, & cænæ tempus potum nullum admittere, ut nempe assuescam mori Religiosi ordinis, ad quem aspiro. *Hirc.* Optime facis, non impediam tam sanctum propositum. *Lurid. solus* vade, vade, caput simplicissimum, & solo caprino cerebro refertum. At mihi quàm felix ingenium! quam in tempore suggessit mendacium de comœdia!

Scena Quinta.

Tabacc. Lurid.

Tab. Ubi solus tam diu hæres Luridastre? jam omnes oviculæ congregatæ sumus in consueto ovili, tu solus dees, dux gregis, ipse caper. *Lurid.* Parens in ipso aditu obvius molestissimo me examine retinuit. *Tab.* Sed feliciter evasisti? *Lurid.* Promptissimo mendacio. *Tab.* Veni ergo, lætior, quam ulla alia fluet hæc nobis vespera. *Lur.* Bonam intentionem

jam

jam præfixi hodierno labori. Sequor. *Tab.* Imo, præi ſus, dux, auctorque.

Actus Quartus.

Scena Prima.

Scriba. Hircaſius.

Scrib. Feſtina Magiſter Capraſi, nam me lætus exſpectat conventus. *Hirc.* Non opus eſt, ut D. ſcriba ipſe mecum mercatorem accedat. Tantùm placeat indicare, cujus coloris pannum pro nova veſte velit coëmi. Jam ſolus cum mercatore omnia tranſigam ad vota. *Scrib.* Colorem nondum determinavi. Nuper adhuc ſtudioſo præplacuit viridis. Nunc ſcriba quid eligam, hæreo. *Hirc.* Color ruber & ſcribam non dedeceret, utpote fors brevi futurum alicubi judicem. *Scrib.* Rubri coloris veſtem nunquam induam. Præſertim ſi præfecturam oppidi alicujus obtinuero. *Hirc.* Cur non? *Scrib.* Quia hic color obnoxius eſt Ruſticorum, & civium ſannis, qui dicere non verentur: ecce hic D. præfectus etiam veſtem ſuam ſanguine ruſticorum, & civium pinxit. *Hirc.* Si medicus eſſes, veſtem nigram ſuaderem notas ob cauſas. *Scrib.* Accedimus mercatorem, explorabo, quos pannos habeat in taberna ſua. Inde eligam pulcherrimum, & ſimul pretio tenuiſſimum. Sed qualem mercatorem adibimus? *Hirc.* Hic proxime habitantem Italum. Iſte eſt certe honeſtus vir, ſaltem inter Italos.

Scena Secunda.

Scrib. Hirc. Bertrandus.

Bert. Te ipſum D. cognate quærebam. Jam Collecti reliqui ſodales omnes te unum avide exſpectant. *Scrib.* Nec minus avidus ego ad vos propero, chariſſimos nuper condiſcipulos, ſodales vero etiamnum fidiſſimos. *Bert.* Conſtituti etiam Phonaſci, qui fidibus ſuis communem lætitiam animent. Hilariter, ut ſpero, tranſigetur à nobis hæc dies. *Scrib.* Spero & ego, qui multis tandem precibus à domino meo extorſi aliquot horas liberas. Diutius longè hærendum mihi in cancellaria, quam olim in ſchola. *Bert.* Crediderim, nunc ergo me ſequere. *Scrib.* Si ad paucula momenta exſpectare me velis, conficiam cito cum proximo mercatore negotiolum. Pannos duntaxat inſpicio; de pretio mercis dein Magiſter hircaſi cum mercatore convenis. *Hirc.* Hoc mihi tutus committe. Novi mercatorem, & ille me. Conficiemus omnia ad votum noſtrum. *Bert.* Hic ego reducem exſpectabo. *Scrib.* Dixi, redux ero in momento. *Bert. Solus.* ſi hircaſius ſciret, quanta liberalitate hodie nos pater haberet, quantas in illum effunderet querelas! quàm ſtolidum illum Parentem, quàm improbum me proclamaret.

Scena Tertia.

Bert. Vitul.

Vit. Vocavi jam phonaſcos. *Bert.* An venient etiam in conventum noſtrum? *Vit.* An dubi-

dubitasti venturos? avidis faucibus, & jejunis stomachis in vicina taberna exspectabant jam diu, nùm quis illos conduceret hodie. Vixque invitaveram, omnes illico exiliere, raptisque celeriter instrumentis musicis in domum nostram properarunt, jamque illuc advenerint, me præcurrentes. Redeamus jam & nos domum. Aut an deest adhuc aliquis, quem quæsitum ibis? D. scriba cognatus noster an non obvius tibi factus? *Bert.* factus obvius; mox aderit, hic illum opperiamur. *Vit.* An non recusavit invitationem? *Bert.* tam graviter in humanitatem peccare non audet, præsertim ubi jam scriba factus. Dein habet etiam honestum titulum mensæ, quia cognatus noster. *Vit.* Ego adhuc meliorem, qùia frater tuus. Utique patiemini vos Domini studiosi, me licet lanionem eidem vobiscum mensæ accumbere?

Scena Quarta.

Bert. Scriba. Vitul.

Scrib. Nunquid bene exsolvi fidem tam cito redux? *Bert.* Fidem mihi datam exsolvisti, an etiam mercatori suas merces? *Scrib.* hoc patri meo relinquo. *Bert.* Et qualem colorem elegisti? *Scrib.* Candidum. *Bert.* Scriba candidum? omnes atramenti maculæ notantur in veste candida. *Scrib.* Non induam has vestes, dum scribo, sed tum duntaxat, cum nobiliores, quas convenit, personas visitabo. *Bert.* Intelligo, & quantum pendere

debebas pro ulna hujus panni? *Scrib.* Pretium hoc mercatori et ſartori reliqui; melius intelligunt, quam ego. *Bert.* Omnino. Uterque eſt vir induſtrius. Neuter ſe ipſum decipiet. *Vitul.* Pergamus jam ad ſocios.

Scena Quinta.

Bert. Scrib. Capr. Vitul.

Capr. Heus domini, non vidiſtis M. meum Hircaſſum? fruſtra ubique illum per omnes tabernas inquiro. *Scrib.* Apud proximum mercatorem Italum invenies. *Bert.* Placeat præcedere, D. Cognate. *Scrib.* Inter amicos non ſoleo diſputare de præcedendi prærogativa.

Scena Sexta.

Capr.

Capr. Quàm falſum eſt, quod mater mihi ſæpius, dum domi adhuc eram, minitata eſt. Exſpecta, dicebat ſæpius, exſpecta puer inquiete. Dum proxime te ſartorum tyrocinio tradidero, diſces quietem, & affixus ſcamno tota die adhærere. Falſiſſimum hoc eſt, apud Hircaſium tota die debeo currere. Nunc jubeor obire domos civium, & interrogare, utrum nullæ ſint illis veſtes vel conficiendæ, vel reſarciendæ. Nunc luſtrare jubeor hoſpitia, & tabernas, &, an nulli, aut quales ibi divertant ſtudioſi, explorare. Nunc - - at.

Scena

Scena Septima.

Capr. Hirc.

Capr. Magiſter, quæſivit te - - *Hirc.* Qu's? *Capr.* Apparitor. *Hirc.* Apparitor? *Capr.* Ita. An conſcius tibi es delicti alicujus civilis, & propterea forte turri includendus? quam tibi condolerem! Vix retinere poſſem lacrimas. *Hirc.* Hunc metum pone. Divino, quid me velit. Non delicti cauſa, ſed ob grande in patriam totam meritum.

Scena Octava.

Hirc. Capr. Apparitor.

App. Submittit tibi Hircaſi meus gratioſus D. Conſul chartam hanc. *Hirc.* Noſtine jam, quid in ſe contineat? *App.* Quid contineat, mea parum intereſt. Cæterum ſi fors tibi ſiniſtrum quid per me contingeret, nolim iraſcaris mihi. Conſulis imperium exequi debebo etiam invitus. *Hirc.* Non probrum hodie, ſed laudem publicam à Magiſtratu exſpecto.

Alldieweilen dan, und nachdem unſer liebe getreue Mitburger Hircaſius aus allhieſſiger wohllöblicher Schneider Compagnien einer ſeits uns nit wollen entvor behalten - - audis præconia fidelitatis meæ? wie daß etliche in unſer allhiesſigen hohen Reichs-Statt anſeßige Eltern, und Haus-Vätter in gebührender Kinder education zimlich negligant gefunden worden. Wie nichts deſtoweniger auch anderſeiths ohne Maas-gebung durch Erbauung und ædification eines E-

ſels

sels nach bescheidener Beybehaltung des oben respective angezogenen Hircasii disem in unsere Stadt leider schon eingeschlichenen Ubel kunte entvorgekommen werden. als gedunckt uns nach reifister Uberlegung bestermassen befuegt zu seyn diser durchaus spitzfindigsten eingelieferten supplication ein gnädiges Gehöre darzureichen: ertheilen mithin gnädigist tenore præsentium ihme Hircasio als einem dise Ehr bestermassen meritiertem Vatter völlige commission baldigist einen Esel empor zu heben, daß man vileicht heut noch in einem seinen Sohn nit allerdings nach Gebühr aufziehenden Vatter ein zum Schauder aller Vätter, und Söhnen heilsames exempel statuiren könne, und möge. Gegeben in dem Burgermeister-Ambt, den letzten Aprill 1755. hoc fiat, & fiet. Jam assignavi quosdam, qui merentur, sed de his postea. Hirc. Nunquid patet ex hoc Decreto, quam prudens fuerit, quod suggessi, Consilium. *App.* Certe prorsus admirabile. H*irc.* Ab omnibus cummuni plausu excipiendum. *App.* Quin toti civitati risum non mediocrem moturum. H*irc.* Præsertim cum viderit primum equitem, in quo hoc consilium executioni mandabitur: nunc ipsus fabrum lignarium accedam, ut celerem operi manum admoveat. - - sed unum adhuc Consul non addidit, qua nempe in forma, qua figura asinum exstrui jubeam? *App.* Eo ipso consul id tuo relinquet ingenio, & arbitrio. *Capr.* Quid multum deliberas? haud deest utique forma similis cum

asino

asino militari. *Hirc.* Cum asino militari? hoc non, nam debet, interesse discrimen inter asinum militarem, & civicum. *App.* In quo? *Hirc.* Asinus civicus debet esse longe capacior, ut eo commodius ipsi parentes una cum filiis, & tota sæpe familia huic equo possent imponi. *Capr.* Sed unicus asinus num sufficiet, putas, tot hominibus? *Hirc.* Bene mones. Cnm tempore tamen, dum sic mea florebunt in patriam studia, facile poterunt plures confici. *App.* Imo hoc alio modo facile posset compensari. *Hirc.* Quo modo? *App.* Si pedes asini non terræ infigerentur, sicut ad prætoriam; sed sint liberi, ut sic equitans per omnes urbis plateas circumductus omnium civium ludibrio magis exponeretur. *Capr.* Hoc, Magister, mihi omnium maxime placeret. Sic & ego quandoque ejusmodi equitem possem circumducere. *Hirc.* Imo esset ad imitationem, dum die palmarum in vicino pago nostro pueri asinum fune illigatum per compita circumducunt. *App.* Et hoc solenne festum, spero, per annum sæpe celebraretur. *Capr.* Quis erit forsan, qui hoc in equo solenniter equitabit? *Hirc.* Quis? parentes & patres familias hic loci ad unum omnes cum omnibus suis filiis, me, & te excepto, præsertim illi, qui studiosos noctu * - Ju! Ju! Ju! Ju! *Capr.* Audite, quàm læti sint hac in taberna rustici. *Hirc.* Non sunt rustici, sed studiosi. Pro pudor! studiosi sunt, scio, & quales sint, scio, & quales sint. Curre capreole, vicinum La-

* Clamant intra scenam.

lanionem mone, Bertrandi patrem. Huc ipsus veniat visurus, quàm egregium educarit filium. Citò, inquam, curre, mone, urge.

Scena Nona.

Hircasius. Apparitor.

Hirc. Tu verò Domine Apparitor, digneris mecum hic exspectere non nihil, dum deprehenderimus hos potatores in flagranti. *App.* Quid ad me, si in tabernis potent, aut saltitent studiosi? nil juris mihi in studiosos est, potestatis nihil. Ad solos cives, si fortè graviter rixentur, mea se extendit auctoritas. *Hirc.* Testis saltem esse poteris, & Domino consuli visa referre. *App.* Neque D. consul se studiosorum causis immiscet; habent, qui illis invigilat, gymnasiarcham suum. *Hirc.* Si non studiosos, tamen ipsorum parentes corrigere, & punire consul potest, & debet. Parentes enim talia suis indulgentes filiis magis rei sunt, quàm ipsi filii.* *Vivat, bibat noster Dux: dum potamus, dum voramus, dum fumamus, dum saltamus, ô quàm læta fluit lux, vivat, bibat noster Dux.* *Hirc.* Audistin hæc, & quibus auribus? *App.* meis. *Hirc.* Et quid tandem sentis de lurcone illo, de Bertrando, lanionis nostri filio? hic enim præses est tam venerandi cætus. Hic, hic est, de quo cecinere: vivat, bibat noster Dux. *App.* An suspicaris tantum, an certus es? *Hirc.* Plusquàm certus sum. Bertrandus est,

* Cantant intra scenam.

eſt, & cum illo, quod miror, etiam ſcriba. *App.* Ego non mirarer. *Hirc.* Dixi, certus ſum ex iis, quæ priùs ab ipſo Bertrando ad ſcribam dicta accepi. Et ecce! puer Cellarius hujus tabernæ. Ex hoc plura expiſcabor.

Scena Decima.

Hircaſius. Apparitor. Cellarius.

Hirc. Læti ſunt veſtri hoſpites. *Cell.* Hac de cauſa ad nos accedunt, ut læti ſint, & hilares. *Hirc.* Præſertim D. Scriba, & D. Bertrandus. *Cell.* Quis iſte Bertrandus? *Hirc.* Lanionis filius, Dux, & coryphæus nunquid hic totius agminis? *Cell.* Recens ad obſequia cauponæ hujus aſſumptus ſum. Haud novi hoſpites, & ſi noſſem, candide dico, tibi non proderem. Quid enim ad te Lanionis filius? imò ſi ipſe filius tuus in hac caupona eſſet, tibi non dicerem. *Hirc.* Filius meus vitat hoſpitia, ùt dæmon crucem. *App.* Piſcatus es? quid cepiſti, nempe naſum.

Scena Undecima.

Hircaſius. Apparitor. Capreolus.

Hirc. Quid eſt Capreole, an monuiſti lanionem? *Capr.* Ut juſſeras, omnia narravi, etiam amplificavi. *Hirc.* Et quid ad hæc ille? num veniet viſurus ipſe. *Capr.* Non credo, venturum. *Hirc.* Non? quid ergo reſpondit? *Capr.* Nihil. Sed ad relata riſit, ut vix non rumperetur, & ſe in cubiculum

ſuum recepit. *Hirc.* Riſit? riſit in tali caſu pater? vix me contineo conſulem, ubicunque ſit, adeo. Conſilium oblatum hodie adhuc in lanione dandum eſt executioni. Unius exemplum terreat parentes reliquos, ut filiis minùs indulgeant. Equitabit lanio, equitabit adhuc hodie. *Capr.* Credo facile, quia equitabit, & extra urbem vitulos conquiret. *Hirc.* Non, non. In urbe equitabit, nec tamen extra urbem. Sequere me, obſecro, Apparitor, ut teſteris. *App.* Quid teſtari poſſum, dum nihil vidi? *Hirc.* Hinc intremus, ut videas. Age, exſere auctoritatem tuam. Fac pandantur fores, & cubiculi janua. *App.* In ſtudioſos ego nulla authoritate, uterentur illi & ſua in tergum meum, quod nuper expertus ſum. *Hirc.* Quid noſtræ civitatis pane frueris? ſi nil animi tibi ſupereſt in petulantes pueros, *App.* tu ſi audeas, intrato. *Hirc.* Non me contineo diutiùs: irrumpo.

Scena Duodecima.

Hircaſius, Apparitor, Luridaſtrus cum ſociis in caupona.

* *Cell.* Foras caper, foras.

Scena Decima tertia.

Hircaſius. Apparitor. Capreolus.

Capr. Puto, Luridaſtrum me vidiſſe, non Ber-

* Repetitur cantilena.

** Erumpit ex caupona Luridaſtrus cum Sociis.

Bertrandum. *App.* Vis, conſulem moneam? & quid viderim, teſter? H*irc.* ſum impos mei, ſum impos mei, talis filius meus? ſed faxo, patrem non impune deceperit. Dabo exemplum urbi, ut videat, quid agere oporteat genuinum patrem. Si delicta filii non impedivi, quæ ignoravi, ſaltem ſeverè puniam, quæ novi modò delicta. Interim tu Capreole curre, fabrúmque lignarium in domum meam evoca. Afferat ſecum trabes, aſciam, & longiores clavos. *Capr.* Cur? vis, ut patibulum fabricet, ex quo te, vel filium ſuſpendas? H*irc.* Fac, quod juſſi. Rumpor furore. *App.* Et ego riſu.

Actus Quintus.

Scena Prima.

Hircaſius. Faber lignarius.

Fab. Nunquid dexterè à me confectum vides, quod petieras? ſatis ſuaviter equitabit, quem hic equus portabit. Solum caput modò deeſt, quod ſculptor meliùs conficiet, quàm ego. H*irc.* De capite non ſum ſolicitus. Sed tergum equi non videtur mihi ſatis exaſciatum. Transverſas has tabulas velim acutiores. *Fab.* Satis acutæ ſunt. Experire, ſi velis. H*irc.* Experiar. * - - Eſt, eſt ſatis ſtrigoſus hic equus, & ephippium non molle. *Fab.* Ut autem magìs ſentiat imponendus eques, impediatur, ne liberis manibus ſe ipſum juvare,

* Aſcendit aſinum.

& corpus valeat ſublevare. *Hirc.* Et quommodò hæc? *Fab.* Sic facies. *Hirc.* Benè. *Fab.* Deinde militum, ità equitantium pedibus vidi, quòd appendantur ſclopeta, ſic tu pedes tuos vario pondere gravabis, verbi gratiâ. *Hirc.* Satis, ſatis eſt. Jam me ſolve denuò. *Fab.* Statim. Monebo priùs ſculptorem de perficiendo capite. *Hirc.* Exſpecta, exſpecta - - ſic tu agis cum honeſto viro? *Fab.* Et tu ſic egiſti nobiſcum honeſtiſſimis civibus, quos omnes aſino imponere voluiſti. Ecce nunc merces tua.

Scena Secunda.

Capreolus. Hircaſius.

Capr. Quid hoc Magiſter? *Hirc.* ſolve me Capreole citò. *Capr.* Quis te ligavit? *Hirc.* Quisquis ligaverit, tu modò ſolve. *Capr.* Neſcis, ubi modò filius tuus? *Hirc.* Non eſt ampliùs filius meus. Certè non ampliùs patrem, ſed ſeverum in me vitricum ſentiet. At tu ſolve. *Capr.* Apparitores undique in filium tuum inquirunt, & jam noſtris vidi imminere ædibus. *Hirc.* Apparitores? *Capr.* Et quidem, ùt dicunt, ex conſulis mandato. *Hirc.* Utinam in carceres, aut in domum caſtigatoriam Lurconem includerent. At tu tandem me ſolve, aut dentibus te diſcerpo. *Capr.* Ergo non miſeret te filii tui? *Hirc.* Tace jam de filio, & me tandem exſolve. *Capr.* Unde incipiam exſolvere, undique ligatum? *Hirc.* Ulnam hanc extrahe, ut li-

bera

bera habeam brachia. *Capr.* Hac ulna nunquid ſæpiùs peccâſti? hinc Deus te punit modò. *Hirc.* In rabiem agor. Vel extrahe aut.. *Capr.* Si in rabiem ageris, non auſim propiùs accedere, ne naſum mihi admordeas, aut dentibus diſcerpas. *Hirc.* O maledictum puerum! non ſolves?

Scena Tertia.

Bertrandus, Vitulinus, Hircaſius.

Bert. Adſum Hircaſi, & jam ſatis fieri mihi peto pro tot injuriis, quibus hactenus me toties, & præſertim hodie affeciſti. *Vit.* Idem & ego peto nomine parentis mei per totam urbem à te diffamati. *Hirc.* Solvite priùs. Tunc reſpondebo. *Bert.* Non, non. Opportune hìc ſedes. Dic modò, an puer ego ſum impius, omni parentum favore indignus? *Vit.* An pater meus ſtolidus, & filio nimiùm indulgens? *Bert.* An in hoſpitio fui hodie? an Dux & coryphæus ganeonum? *Hirc.* Ah ſolvite me, & dicam, te adoleſcentem omnium eſſe probiſſimum, & patrem veſtrum civium omnium honeſtiſſimum.

Scena Quarta.

Scribacius. Bertrandus. Vitulinus. Hircaſius.

Scrib. Quid eſt inſolens caper? tune hodie coram Apparitore affirmare es auſus, me cum

Rusticis, aut ùt rusticum in taberna clamare, & saltare, & nescio, quomodo græcari? *Hirc.* Quid inde, si de scriba hæc dicam? Licet his utique tabernas frequentare. *Bert.* Domine cognate, consulem juncta manu accedimus, ut honori nostro satis fiat, urgemus. *Hirc.* An non satis factum jam vobis per præsentem miseriam, in qua me cernitis. *Capr.* Ego certè sine lacrimis te videre non possum. Recedo. *Hirc.* Ah solve me priùs. solvite, obsecro, & satisfaciam, revocabo omnia. *Vit.* Ad consulem, ad consulem.

Scena Quinta.

Cellarius.

Cell. Quis novus hic eques? & quousque hodie tam festinus? cæterum opportunè te invenio, missus à caupone meo, denuntiat ille tibi per me, ut, si tergum te titillet, redeas, & iterum in tabernam importunus irrumpas, excipiet te, ùt tales decet hospites. *Hirc.* Caupo tuus seductor est, filium meum perdidit olim innocentem. *Bert.* Olim, nempe in cunis. *Cell.* Criminaris etiam, postquam hospites è taberna nostra fugasti? ausfugere enim cum filio tuo territi per te socii, non dum soluta symbola, pro quâ tu satisfacies. *Hirc.* Ego solvam pro his lurconibus? *Bert.* Quid olidus sartor, studiosos lurcones? eja ad consulem.

Scena Sexta.

Redit Capreolus.

Capr. Scisne Magister, quid factum egregio

gio tuo filio? exclusus est cum omnibus suis sociis, & à gymnasiarcha scholîs penitùs ejectus. *Hirc.* Etiam exclusus? *Capr.* Ne quidem ad gymnasiarchæ alloquium amplius admissus, cum sociis suis è gymnasio exesse jubetur, schedâ publicè ad gymnasii januam affixâ. Ità nunc mihi ejus socius Tabaccalus pariter exclusus, qui omnes in filium tuum seductorem pessimum evomuit iras. *Hirc.* O maledictum puerum!

Scena Septima.

Accedit Edmundus, Consulis filius. Apparitores.

Edm. Hircasi, legit & parens meus, quod obtuleras, consilium, & totum approbavit quàm maximè. Hinc statim hodie vult executioni mandatum. Age Apparitor, quæ tui sunt muneris. *Hirc.* Ah! solve me, obsecro, D. Apparitor, tunc loquemur plura. *App.* Non solvere, sed si necdum sederes, tali equo te jubeor imponere. At quis ausus est authoritatem meam prævenire, & te equitem creare? *Hirc.* Ergo & vos sic mecum agitis? an semper & ubique sartores habentur ludi? *Edm.* Non tanquam sartorem, sed patrem filio nimis conniventem te punire jubet pater. *Bert.* Et nunquid hoc ipsum domino consuli consilium obtuleras? *Edm.* Jam & altera consilii ejus pars debet adimpleri. Eja viri Dei! perficite jussum opus, & natum patri adjungite.

 Scena

Scena Octava.

Accedit Apparitor secundus cum Luridastro.

Lur. Vobis, Apparitores, potestas est in me nulla. *App.* Cum lurcone, non cum studioso agimus, & quidem e scholis ejecto. *App.* Reluctaberis ultra? an necdum sensisti satis hunc stipitem? *Lur.* Sentio. Hinc quæso Edmunde, fac, pænarum sit satis. *App.* Imo patri socius assidebis. H*irc.* Removeatur impius hic lurco è meo latere: qui me tantas in miserias. Abstrahatur in domum castigatoriam. Aut omnino ab urbe ejiciatur. *Edm.* Id factum esset, & ut D. parens meus id faceret, Gymnasiarcha hodie suasit, & monuit. Dum autem parens meus prudentissimum tuum consilium illi proposuit, Luridastrum hoc supplicio pro hac vice puniendum censuit pater meus, & Gymnasiarcha. Eja viri Dei! *Lur.* malim omnia perpeti, sed hoc uno a dedecore liberate &c. * H*irc.* Non à tergo, sed ante me collocate, ut magis videatur lurco. *Lur.* Tibi pater, tibi debetur honor. *App.* Et pater nimium indulgens filio magis reus est, quàm filius.

Scena Nona.

Accedit reliquis faber lignarius.

H*irc.* Redis tandem? ô solve me aliquando, qui me ligasti. *App.* Non, non. Prohibeo

---

* Imponunt.

beo tota mea, & baculi mei authoritate. *Fab.* Perficiet sculptor, si desideras, adhuc hodie pro hoc equo caput asini. Interim aliud, quod domi jam habebat, offert, forte non inconveniens. Ecce! * *Bert.* Ad hoc quadrat optime. *Scrib.* trunco illud affige. ** *Edm.* Nunc ut publicum sit supplicium, & ad terrorem salutare, statuatur hic equus cum equitibus suis in platea publica. *Vit.* Eja levamus truncum. *Hirc.* O Domini mei, omnes respective gratiosi, strenui, doctissimi, & ornatissimi, spectatissimique tantum non publice tantæ nos infamiæ exponite. *Bert.* Publice nos, & parentes nostros traduxisti, publice calumnias lues. *App.* Publica dedit Luridastrus scandala, reliquos seducendo, hæc luat & publicè. *Hirc.* Ah publice ego revocabo omnia, quæ dixi. Domine Bertrande, te pronuntio studiosorum omnium alpha, & Omega. *Vit.* Et patrem nostrum? *Hirc.* Civem dignissimum, qui hodie senatoribus adnumeretur. *Scrib.* Et de me quid? *Hirc.* dignum, qui fias judex totius oppidi. *Bert.* Et studiosos adhuc prodes, in hospitio a te visos? *Hirc.* Nec vos, nec studiosorum quempiam prodam ultra. Tantum liberate me à publica infamia. Capreole, etiam pro me ora. *Capr.* Oro, atque jam diu oro tacitis suspiriis, & oculis vix non madentibus. *App.* Et tu Luridastre quid statuis? hæres? *Cell.* Num solvetis cauponi meo? hæretis?

---

* Profert caput hirci cum cornibus & barba.
** Illudunt omnes.

retis? *App.* Eja levamus truncum, in publicum efferimus. *Lur.* Siſtite, obſecro, ſiſtite. H*irc.* ſolvam ego omnia, modo me ſolvite. *App.* Et tu num inſtitues deinceps conventus malos? *App.* Et patrem tuum decipies? *Lur.* Faciam deinceps omnia, quæ pater voluerit, dummodo à publica infamia me liberetis. - - *Edm.* Gratiam D. parentis loco vobis faciam. Non exponemini publico, domi tamen equitabitis ad veſperam. Tunc apparitor ſolvet. *App.* Veniam ante cænam, tum ſimul cænabimus. H*irc.* Ecce in has demum miſerias redigit & patrem & natum nimius, & cæcus meus amor.

O. A. M. D. G.



